LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN

Emblems
x242
Sulp

RARE BOOK ROOM



*First e[...] form.

Engrav[...] 32 plates
by Boetius a Bolswert

See Praz p. 506

Jacquet, A , Via vitae aeternae.

Titelkupfer u. 32 Kupfertafeln !


יהוה
PIÆ
CONSIDERATIONES
ad
DECLINANDVM à MALO
et
FACIENDVM BONVM
cum
Iconibus
VIÆ VITÆ ÆTERNÆ
R.P. Antonij Sucquet
è SOCIETATE IESV.
Viennæ Auſtriæ
MDC LXXII
Vitium
Virtus
I.M. Lerch sc. Viennæ.

Sulp

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

SI *vidiſti, Lector Benevole, auro, cedroq́; dignum opus Religioſiſſimi è Societate JESU Viri, R. P. Antonij Sucquet, quod* Via Vitæ Æternæ *inſcribitur, primo fortè iconum propoſitarum aſpectu ſuſpicaberis libellum hunc quoddam ejus eſſe compendium. Nec abnuo omnino; nec omnino aſſentior. Si enim ſuccinctum apparatum ſpectes, quo Chriſtiana quædam bene vivendi, adeoq́;* Viam Vitæ Æternæ *rectà incedendi documenta exhibeo, aliquid inde deſumpſiſſe, & brevitatem ſectatus eſſe, videri potero. At verò, ſi res ipſas, ordinem, ſeriemq́; capitum attendas; quibus laudatiſſimum illud opus mirâ gratiâ concinnatum eſt, meritò injuriæ, & impudentiæ me argueres, ſi paucis hiſcè pagellis illam tantorum bonorum Iliadem me concluſiſſe profiterer. Nefas enim foret tam eximio, numeriſq́; omnibus abſoluto operi aliquid, ſive addidiſſe, ſive dempſiſſe, ſive immutâſſe.*

Quæ-

Quæris, quid igitur prætendam? Declaro id, dum ſcriptionis occaſionem expono. Curaveram ante annos aliquot Antuerpiâ nonnulla exemplaria imaginum Sucquetianarum multùm laudatâ manu Boëtij à Wolsvvert antehac inciſarum, quas bonæ mentis tam adoleſcentibus, quàm adultis, æquè rudibus, ac doctis; ſeu vitam rectè inſtituere volentibus, ſeu de eligendo ſtatu deliberantibus per vices ad tempus dabam, documenta illis accommodans, quæ ad cujusque præfixum finem proficua judicabam, ut hâc methodo facilius, & altius in animum immitterentur. Nemo omnium fuit, qui non avidè illas exciperet, curiosè, attentèque conſideraret, magnumq; inde, ut ipſi fatebantur, & ex effectibus colligere licebat, animi fructum reportaret. Hinc permulti devotioni, & conſolationi ſuæ conſtanter eas relinqui, aut alias ejusmodi comparari ſolicitè flagitabant, pretium quodcunq; perſoluturi. Verùm quia ea ipſa pauca exemplaria, quæ Antuerpiâ obtinueram, jam tunc ægrè conquiſita, & repertafuerunt, & eorum communicatione pauculis ſolùm prodeſſe poteram, qui nemini deeſſe deſiderabam: atque ipſe etiam liber Viæ Vitæ Æternæ *antehac ſæpius excuſus, cum iisdem*

ima-

imaginibus venalis amplius non proſtat; novis verò typis recentiſsimè impreſſus iisdem caret, non poterat tam pio tot bonorum deſiderio ſatisfieri. Cùm verò harum imaginum recordatio in diverſorum animis deleri non poſſet: atque idcirco eas continuè efflagitare, & urgere multi non deſiſterent, placuit tandem eas novo cupro incidere, & ſingulis accommodam conſiderationem, quâ intellectus ad fugiendum malum, & amplectendum bonum *inſtrueretur, adjungere; pauculas deinde jaculatorias preces cum una oratione Eccleſiæ, quibus voluntas ad conformes conſiderationi affectus excitaretur, ſubnectere, & ſic opuſculum, quod vides, mole exiguum, & facilè comparabile conficere, publicique juris facere.*

Ex quo facilè, ut opinor, intelligis propoſitum mihi non eſſe de omnibus, & ſingulis virtutibus, aliisque ad omnem perfectionem Juſtitiæ Chriſtianæ ſpectantibus diſſerere, ſed ijs de rebus ſolùm agere, quarum occaſionem imagines præbuerunt. Neque verò etiam horum natura, cauſæ, effectus, proprietates, & accidentia mihi elucidanda, plenaque doctrina ordinatè tradenda fuit, dum id unum quæro, ut, quod inciſæ figuræ oculis promiſcue repræſentant,

tant, animo imprimatur. Utor verbis ſimplicibus, & vulgaribus, ſtyloque familiari, quia veritates, quas Fides, Ratio, & Experientia *docet, bonis mentibus ſine adſcititiis troporum, & figurarum ornamentis ſolent eſſe gratiores, & purius illabuntur. Abſtineo rerum deductionibus, & amplificationibus, ut ſerviam genio ſi non tuo, certè complurium aliorum, qui ut vitam ſpiritualem doceri deſiderant, ita documentorum brevitatem amant; ſive ut memoriâ facilius retineant, quæ in omni arena depromant; ſive, ut cùm eorum ruminationi aliquid de ſuo ſibi addere videntur, inde ſuavius afficiantur: ſolent enim, quæ excogitavimus ipſi, aut excogitata deducimus, liquidiorem animo voluptatem infundere, & voluntatem acrius permovere. Tu ſingula bene, maturèque expende, & tametſi ſæpius audita ſint, & lecta, experieris tamen afflante Spiritûs Sancti gratiâ devotionis ignem in meditatione tua inde exarſurum. Nôſti Verbum Dei aſſimilari grano Sinapis, quod non accendit, nec mortificat, aut lacrymas ciet niſi bene dentibus comminutum. Nec mortis igitur, aut judicii, æternorumque ſuppliciorum memoria animam peccatricem amaricabit, & immutabit;*

tabit; nec Chriſti incarnationis, paſſionis, Deique beneficiorum recordatio guſtum adferet, ſi velut integra trajiciantur, & deglutiantur.

Quæ poſt omnes conſiderationes in fine adjuncta conſpicis, ſunt varia. Non eſſe omnino ſuperflua, & inutilia diſces ipſo uſu, & experientiâ. Accipe nunc iſtum qualemcunque laborem meum eo animi affectu, quo tibi offero, & ſequere Hugonis monitum (lib. 1. Didaſcal.) Tria præcipuè ad Lectorem pertinent: primum, ut nullam ſcientiam, nullam ſcripturam, vilem teneat: ſecundum, ut à nemine diſcere erubeſcat: tertium, ut cùm ſententiam adeptus fuerit, cæteras non contemnat.

Tuus in Chriſto

Servus è Societatè JESU.

INDEX RERUM.

Conſideratio I. De Fine, ad quem creatus eſt homo. fol. 1.
II. De Expiatione peccatorum, per quæ à fine ſuo deviavit homo. 2.
III. De Vita reliqua rectè inſtituenda ad finem creationis aſſequendum. 3.
IV. De Tempore vitæ humanæ incerto, & brevi. 4.
V. De Morte. 5.
VI. De Judicio extremo univerſali. 6.
VII. De Vita venturi ſæculi. 7.
VIII. De Virtutis excellentia, & vitii fœditate. 8.
IX. De Impiorum vanis, & fœdis, Juſtorumque ſolidis, & limpidis voluptatibus. 9.
X. De Afflictione interna impiorum, & de pace, aliisq; divinis favoribus juſtorum. 10.
XI. De Exemplo Chriſti ad hoc nati, & in mundo converſati, ut nos doceret rectè vivere. 11.
XII. De Exemplo Sanctorum Chriſtum ſequentium, & nos ad ſequendum invitantium. 12.
XIII. De Eccleſiæ ſplendore ex vitæ noſtræ integritate. 13.
XIV. De Beneficiis à Deo in eum finem nobis collatis, ut ipſi ſerviamus. 14.
XV. De Deo digniſſimo amari, & coli propter ſe. 15.
XVI. De Imbecillitate hominis, & efficacia gratiæ divinæ ad finem creationis aſſequendum. 16.
XVII. De Oratione. 17.
XVIII. De Intentione recta. 18.
XIX. De Patientia in adverſis. 19.
XX. De Præſentia Dei omnia videntis, & omnia gubernantis. 20.
XXI. De Virtutibus Heroicis ad imitationem illuſtrium Sanctorum. 21
XXII. De Præparatione animi contra tentationes. 22.
XXIII. De Charitate erga proximum. 23.
XXIV. De Purgatorio. 24.

XXV.

XXV. De Communicatione cogitationum,& affe-
ctuum ſuorum cum Patre ſpirituali. 25.
XXVI. De Fiducia in Chriſto JESU paſſo, & mor-
tuo pro nobis peccatoribus. 26.
XXVII. De Solitudine,ſive recollectione animi per ſpi-
ritualia exercitia. 27.
XXVIII. De Gratitudine erga Deum. 28.
XXIX. De Die præſenti bene tranſigendo. 29.
XXX. De Examine conſcientiæ quotidiano. 30.
XXXI. De præparatione ad mortem. 31.
XXXII. De Cultu Magnæ *DEI* Matris. 32.

Tres Gradus, quibus ad perfectionem Chriſtianam
enitendum eſt. 34.
Virtutes hominis erga Deum,ſeipſum,Proximũ. 35.pag.2.
Praxis facilis bene meditandi. 38.pag.2.
Alphabetum affectuum pro meditatione. 39.pag.2.
Amuletum caſtimoniæ. 40.pag.2.
Actus contritionis. 42.pag.2.
Reflexio Sacerdotis ante Miſſam. 44.pag.2.
Aſpirationes ad Chriſtum poſt Miſſam,& aliàs. ibidem.
Tria ſæpe ſæpius à Deo roganda. 45.
Compendium Chriſtianæ perfectionis. ibid. pag. 2.



FACUL-

FACULTAS.
R. P. PROVINCIALIS.

EGo Adamus Abœdt Societatis JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, factâ mihi ab Adm. R. P. Noſtro Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali poteſtate, facultatem concedo, ut *Piæ Conſiderationes ad declinandum à malo, & faciendum bonum, cum Iconibus Viæ Vitæ Æternæ R. P. Antonij Sucquet*, à quodam Sacerdote memoratæ Societatis conſcriptæ, & ab ejuſdem Societatis PP. Cenſoribus de more reviſæ, & approbatæ typis mandentur. In cujus fidem manu meâ ſubſcripſi, & conſuetum officij ſigillum appreſſi. Græcij 3. Februarii Anno 1672.

Adamus Abœdt.

(L.S.)

CON-




K
C
I
B
E
H
G
A
F
D

CONSIDERATIO I.

De Fine, ad quem creatus eſt homo.

QUis quis rectè operari, & vitam bonam inſtituere deſideras, initium ſumas neceſſe eſt à *cognitione finis*, ad quem creatus es tu, & mundus totus. Scire namq; primò omnium te oportet, quid *reſpicere*, quid *velle*, quid *efficere* actionibus tuis debeas; alioquin ut cæcus in via ambulas, quaquaverſum oberrans, & nunquam eò pervenies, quò unicè conditus, & in mundum natus es: *non enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur.* S. Auguſtinus. A Ergo ſecluſis aliis cogitationibus ſæpe ſæpius attentè conſidera, *quare*, ſeu *ad quem finem* à Deo creati ſint Adam, Eva, eorum poſteri, & inter hos tu quóque; & denique totus iſte mundus, quem vides. B. *Creatus eſt homo* (ſummus, medius, infimus, nullo excepto) *ad hunc finem, ut Dominum Deum ſuum* agnitum per fidem *laudet, ac revereatur*, corde per affectus, ore per hymnos, & cantica; viribus omnibus per cæremonias, ritus, & actiones convenientes (quales ſunt apertio, & inclinatio capitis, manuum expanſio, conjunctio, elevatio, genuflexio, pectoris percuſſio, corporis proſtratio, ſacrificia, & oblationes, &c.) *Deoque ſerviat* in hac vita, inquirendo, approbando, exequendo, ſanctiſſimam illius voluntatem in magnis, & parvis, ſemper, ubique. C *Tandem verò ſalvus fiat*, ac æternùm beatus in vita alterá, videndo Deum ſicut eſt in ſe, amando eundem, & pleniſſimè quieſcendo, ac gaudendo in eo, utpote *ſummo, toto, & omni bono. Reliqua verò creata ſunt hominis ipſius causâ, ut eum ad proſequendum finem creationis ſuæ juvent*; quædam ſerviendo hominis neceſſitatibus, alia virtutum exercitio, *omnia* comparandæ cognitioni, amori, & timori Dei, cujus Exiſtentiam, Sapientiam, Bonitatem, Potentiam, Magnitudinem, & Majeſtatem, cœlum, & terra loquuntur. Hæc non eſt pia aliqua tantùm cogitatio, ſed eſt certa, & orthodoxa fidei veritas. Nam paſſim in ſacris litteris Deum conteſtantem audis: *Ego Deus, Ego Dominus*: &, *Si ego Dominus, ubi timor meus, ubi honor meus*? & per Prophetas: *Dominum Deum tuum timebis, & adorabis, & illi ſoli ſervies ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua. Et ipſe ſalvum te faciet, eritque merces tua magna nimis.* Ex quo ſequitur hominem rebus creatis eatenus uti, vel abſtinere debere, quatenus ad dictum finem (*Dei obſequium & laudem, ipſiusque hominis æternam ſalutem*) vel conferunt, vel obſunt, & omnino *indifferentem* eſſe oportere ad *omnia*, ſanitatem, & morbos, divitias, & paupertatem, honorem, & contemptum, vitam longam, & brevem, prout Deo placere intellexerit. D Hanc veritatem mundus penè totus (prò dolor) vel non agnoſcit, vel contemnit, & à Deo averſus, ac ad creaturas converſus vaniſſimis deſideriis, & affectibus conſumitur. E Et quemadmodum navis, quæ maris fluctibus hauritur, & portum unicè optatum non attingit, ſic & ipſe miſerè perit. F Adeoque ab æterna felicitate aberrans, æternis inferorum cruciatibus

bus involvitur. Tu ſi ſic perire non ſtatuiſti, maturè diſpice, quâ viâ finem creationis tuæ aſſequaris. Eſt autem triplex via. G Prima, per quam *ſtatus ſæcularis* ſignificatur multùm ſinuoſa, & ambagioſa, eò quòd hic ſtatus ſecundùm ſe minùs accommodus ſit ad perfectionem, propter multas occaſiones peccandi, & alia impedimenta ſalutis, quæ habet; etiamſi perſæpe, qui in eo ſtatu ſunt, alios in perfectiore ſtatu conſtitutos virtute multùm antecedant. H Secunda, per quam ſtatus *Eccleſiaſticus* notatur, multis itidem periculis expoſita, & obliqua. I Tertia rectiſſima, quæ ſtatum *Religioſum* deſignat, *plurima* habentem ad finem creationis *adjumenta*, *pauciſſima* verò *impedimenta*. Ex his tu ſtatum delige, in quo certiùs, & ſecuriùs aſſecuturum te finem creationis *coram Deo* judicas. Si enim terrâ, marive iter ſuſcepturus equum habilem præ claudo, navim firmam præ carioſa, & rimoſa, viam planam, & ſecuram, præ prærupta, & infeſta; & univerſim negotium alicujus momenti confecturus media certiora præ minùs certis eligis, quidni idem agas in negotio negotiorum maximo *æternæ ſalutis tuæ*? Si in certo ſtatu jam conſiſtis, *declina à malo* omni, & *fac bonum* juxta ſtatûs tui exigentiam: nam hoc feciſſe eſt Deo ſerviviſſe. Et tametſi fortaſſis improvidè, nec ſine obliquis affectionibus ſtatum, in quo vivis, elegeris, & adieris, ſi tamen retractare, & mutare non licet, electionis damnum probitate vitæ, & operum ſolertiâ penſandum eſt: reſilire autem nullo pacto decet. K Denique quamvis corpore in terra habites, converſatio tamen tua ſit in cœlo, ubi coram ſuprema Majeſtate animo proſtratus nunc ut mortis *reus*, delictorum tuorum veniam petes: nunc ut *pauper*, & egenus rogabis conducentia bona ad ſalutem animæ, & corporis: nunc ut *ſponſa* amori, & laudibus Dei tui te totum conſecrabis.

JACULATORIÆ.

Revela oculos meos, & notum fac mihi Domine finem meum, ad quem creâſti me.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem; & deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Dominum Deum meum timebo, & illi ſoli ſerviam, qui fecit magnalia, & terribilia in cœlo, & in terra.

Laudabo Deum in vita mea, pſallam Deo meo, quamdiu fuero.

Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quoniam ipſe Eſt, qui Eſt, Primus, & Noviſſimus; Alpha, & Omega; Principium, & Finis, à quo, & ad quem ſunt omnia.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens, ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & Majeſtati tuæ ſincero corde ſervire. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, Amen.*


P
O
N
M
L
A
I
F
E
H
K
G
B
D

De Expiatione peccatorum, per quæ à fine ſuo deviavit homo.

POſtquam cognoviſti te creatum eſſe, ut *Deo ſervias*, & inde æternùm *beatus efficiaris*, inquire, an hunc ad finem omnes operationes tuas jam inde à primo rationis uſu, prout tenebaris, direxeris. Ah quot invenies cogitationes, affectus, dicta, facta, quibus tanquam ovis, quæ periit, aberrâſti! Siſte gradum tandem, & revertere: *convertere*, inquam, *& age pœnitentiam, & non erit tibi in ruinam iniquitas.* Atque ut olim A Iſraëliticus populus ad dignè Deo ſerviendum ex ſervitute Ægyptiaca exceſſit per mare rubrum; ſic tu excede B Per ſanguinem Chriſti ex ſervitute peccati, & dæmonis, Conculca generoſo animo C quidquid à Dei obſequio retardavit, & occaſionem lapſui præbuit. D En occurrit ipſe, & paternum amplexum ſuum offert ſalvator amore tui mortuus. E Hortatur quoq; per internas inſpirationes S. Angelus Cuſtos tuus, cui id primùm curæ eſt, ut fructu Paſſionis Chriſti non fruſtreris, ſed in ſanguine Agni dealbatus viam F virtutis decurras, reportaturus palmam, & coronam æternæ felicitatis. Sed quod ſemel neceſſe eſt fieri, fac citò, neque delibera de die in diem quemadmodum homo ille G longam vitam ſibi pollicitus: *ſubitò* enim *veniet ira Dei* & quando non putabis, audies: *Stulte hâc nocte repetent animam tuam à te.* Nam qui promiſit veniam pœnitenti, non promiſit tempus craſtinum pœnitendi, ſi hodiernum reſpuas. Et ſi, cum corpus ægrotat, medicinam non differs, ne morbus invaleſcat, quomodo animæ curationem differas, quæ eſt pars hominis nobilior, & cujus morbi pernicioſiores ſunt, quàm corporis? Noli, quæſo, computreſcere in ſordibus tuis tanquam jumentum in ſtercore ſuo. Quantùm gauderes, ſi Paulum Apoſtolum, aut Mariam Magdalenam convertiſſes, & modò ſi in tua poteſtate eſſet magnum peccatorem convertere, absque dubio id facere conareris. Ecce in tua poteſtate eſt cum gratia Dei te convertere: converte igitur *te ipſum* quantocyus, & magis gaudebis de tua, quàm aliena converſione. H Initium porro converſionis ſumendum eſt à ſerio cordis dolore. Hic duplex eſt, perfectus, qui *Contritio*, & imperfectus, qui *Attritio* dicitur. *Contritio* eſt dolor, & deteſtatio peccati commiſſi cum propoſito confitendi, & non amplius peccandi, eâ de causâ, quòd per peccatum *offendatur Deus immenſæ Majeſtatis, & infinitæ Bonitatis, DEUS* inquam, digniſſimus omni reverentiâ, amore, & cultu. *Attritio* eſt deteſtatio peccati ex alio inferiori motivo ſupernaturali, ut quia peccatum à cœlo excludit, vel retardat; privat gratiâ, & favoribus divinis: facit reum pœnæ æternæ, vel temporalis &c. I Contritioni ſuccedat *confeſſio.* Hæc ſit 1. *Accurata*, præmiſſo diligenti examine. 2. *Integra*, exprimens omnes ſpecies, & circumſtantias debitas, & numerum peccatorum mortalium. 3. Sit *clara* ſine amba-

ambagibus, palliationibus peccatorum, omiſſis inutilibus narrationibus. 4. *Humilis*; neque enim per modum hiſtoriæ enarranda ſunt peccata, ſed qualiter mortis reus coram Judice, vel publicanus pulſans pectus ſuum, aut filius prodigus oculos attollere non auſus confitetur iniquitatem ſuam. K Confeſſionem excipiat *ſatisfactio* tum à Sacerdote injuncta, tum ſponte aſſumpta: nam vera pœnitentia non eſt, quæ Juſtitiæ divinæ pro offenſa ſatisfacere non ſatagit. Et ſæpe remiſsâ culpâ remanet adhuc pœna graviſſimis quandoque animi, & corporis afflictionibus in hac vita, vel in altera igne purgatorio exſolvenda, ſi ipſe eam ſpontaneâ ſatisfactione non exſolvas. Nomine ſatisfactionis venit. L Eleemoſyna (ipſa *ab omni peccato liberat, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Tob. 4. & 12.) & omnia opera charitatis erga proximum corporalia, & ſpiritualia, de quibus S. Hieron: Non memini me legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. M Jejunium (*propter hoc miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis.* Ninivitis, *& non fecit.* Jonæ 3.) & omnes corporis, ac ſenſuum afflictiones, propriæque voluntatis mortificationes. N Oratio (*obſecravit Manaſſes Dominum intentè, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in Regnum ſuum.* 2. Paralipom. 33.) tum vocalis, tum mentalis, & quidquid ad virtutem *Religionis*, & cultum Dei ſpectat. Maximi autem facies, & minimè negliges eas preces, & opera, quibus *indulgentiæ*, præſertim plenariæ annexæ ſunt, quandoquidem ſic applicatâ tibi ſatisfactione Chriſti, & ſanctorum, pœna temporalis infallibiliter remittitur. His ſi animam tuam à commiſſis hucuſque peccatis expiaveris, gaudium erit O Angelis in cœlo ſuper te peccatore converſo magis, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, tuque P coronaberis æternâ gloriâ à Deo per pœnitentiam tibi reconciliato, ſi tamen in gratia perſeveraveris uſque in finem.

JACULATORIÆ.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus.

Sed in te Domine confidit anima mea, quoniam ſuavis, & mitis es, & multæ miſericordiæ.

Tu Domine propter gloriam nominis tui propitiaberis peccato meo: major eſt enim miſericordia tua, quàm iniquitas mea, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens, & mitiſſime Deus, qui ſitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxiſti: educ de cordis noſtri duritia lacrymas compunctionis, ut peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionemque eorum te miſerante mereamur accipere. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, Amen.*


Bona est oratio cum ieiunio
et eleemosyna Tob. 12.
3

CONSIDERATIO III.

De Vita reliqua rectè inſtituenda ad finem creationis aſſequendum.

FRuſtranea eſt omnis etiam in cinere, & cilicio acta pœnitentia, ſi poſtliminiô ad priorem vitæ licentiam velut ſus ad volutabrum, aut canis ad reſorbendum vomitum revertaris. Aliter ergo impoſterum vivendum eſt, & ſerviendum Deo *in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo.* A Et primò quidem, cùm Chriſtus diſertè pronuntiet: *ſine me*, id eſt, ſine gratia ex meis meritis danda *nihil poteſtis facere*, neceſſe habes quotidie eam gratiam ſuppliciter in oratione petere, quâ poſſis *declinare à malo, & facere bonum.* Sed quia gratia Dei ſola, & ſine te nihil operatur, neceſſaria quoque eſt *cooperatio tua*, quæ in eo conſiſtit, ut à Deo immiſſas mentis illuſtrationes, & pios voluntatis motus acceptes, ſoveas, & ad opus deducas, fugiáſque occaſiones malorum, præſertim *proximas*, & arripias occaſiones bonorum. Aliàs ſi Chriſto extendente manum ſuam tu renuas, B quemadmodum ille mundi amore captus, periiſti; audiéſque aliquando exprobrantem tibi Deum: Quia vocavi, & renuiſti; extendi manum meam, & deſpexiſti; ego quoq; in interitu tuo ridebo. Certo enim certius eſt, veróq; verius, quòd: *qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* S. Auguſtinus. C Peccata nuper expiata non illicò ceſſa plangere, ſed deteſtare toties, quoties vel nomen *peccati* audis, legis, cogitas: non enim fruſtra moneris: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*: Eccl. 5. Et iterum: *Neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit*, Eccl. 9. Certò ſcis te peccâſſe, an peccatum remiſſum ſit, ignoras. O quàm juſta eſt hæc cauſa ſemper timendi, & dolendi! D Pariter non dimitte illicò opera ſatisfactoria, *orationes, jejunia eleemoſynas*, nam iiſdem inſtrumentis perficitur ſalus tua, quibus inchoatur. E Dehinc progredere Directore S. Angelo Cuſtode tuo ad rectè ordinandas, & perficiendas omnes interiores, exterioreſque potentias tuas, F incipiendo *à lingua, & quinque externis ſenſibus*, quos diligentiſſimè cuſtodies, & ne ex quocunque naturæ pruritu, ac impetu in quoſcúnque actus erumpant, refrænabis; ſunt enim portæ, per quas *mors* in animam ingreditur. Neque ideo quia res in ſe *parva* videntur, eas contemne, & neglige: *parva gradus ſunt ad magna.* Sic curioſus aſpectus mulieris lavantis ſe Davidi Regi ſancto, & Viro ſecundum cor Dei occaſio fuit ad fœdum adulterium, & abominandum homicidium. Aſpectus pomi vetiti Evam ad illud tangendum, & guſtandum, unáque totum humanum genus in myriades malorum induxit. *Vidit* namque mulier, quòd pulchrum eſſet lignum, aſpectuque delectabile, & *tulit* de fructu illius, & *comedit.* G *Intellectus* quotidianâ piâ lectione, & meditatione ſic excolendus eſt, ut cognoſcat, quæ ſit obligatio non jam in communi, ſed in particulari, hominis erga Deum, ſeipſum, proximum, juxta vocationem, quâ

quiſque

quíſque vocatus eſt. H *Voluntas* ſic formanda eſt, ut velit univerſim omnem rectitudinem, averſetur omnem iniquitatem, non in ſe tantùm, ſed & in omnibus aliis, attenta ſemper, & intenta ſanctiſſimo beneplacito unius Dei, in cujus immenſa bonitate, & miſericordia firmiſſimè ſperet, quia non deſeret quærentem ſe: & *non eſt auditum à ſæculo, quòd, qui ſperavit in Domino, ſit confuſus.* Eventus, qui à ſolius Dei providentia pendent, ſic ſuſcipiat, ut Dei ſapientiam, & bonitatem laudet, tametſi ea nobis nunc non appareat: nam reverà *judicia Dei abyſſus multa*, verùmtamen *omnia judicia ejus juſta ſunt.* I Si dæmonem, aut vitium in via virtutis infeſtum ſenties, re ſiſte fortis *in fide.* K Fugit (crede) dæmon animam generoſam, armatam gladio vèrbi Dei, id eſt, vivæ fidei veritatibus inſtructam. Bene ſic ordinatis *ſenſibus intellectu*, & *voluntate in te ipſo*, adlabora *publico* quóque bono, ut per illud glorificetur Deus. Et ſi *praes*, interpone te cum L Moyſe murum inter Deum, & tibi comiſſos; deprecare peccata populi; urge, quæ cultus divinus exigit: Si verò *ſubes*, collabora præſulibus executione mandatorum, quæ per illos ad te Deus ipſe dirigit. Demùm illud cura, ut eorum, quæ retro ſunt, obliviſcens, ad ea, quæ ſunt priora, te extendas: atque ita M virtus tua quaſi lux ſplendens procedat, & ſemper creſcat in conſpectu Altiſſimi. Nil juvat *bene* cœpiſſe, niſi de *bono* in *melius* ſemper proficere totis viribus coneris, quando una omnium Patrum, & Doctorum vox eſt: *in via Domini non progredi, eſt regredi.* Et verò grandis tibi adhuc reſtat via, & habes, quò ſemper *plus ultra* tendas. Nam poſtquam N ſcelerum multorum *reus* conſcientiam per pœnitentiam expurgâſti cum *incipientibus*, debes O virtutum adhuc *inops* his ipſis acquirendis inſiſtere cum *proficientibus*: donec cum *perfectis*, quos *ſponſa* deſignat, in Deum affectu pleniſſimè transformeris. *Vide tres gradus Perfectionis*, fol. 34.

JACULATORIÆ.

Recedant vetera: nova ſint omnia, corda, voces, & opera.

Fiat cor meum immaculatum, & non dominetur mei omnis injuſtitia.

Dirige Domine in conſpectu tuo viam meam: pone cuſtodiam ori meo, & omnibus ſenſibus meis.

Da mibi intellectum: da ſpiritum de cœlo bonum: & tuere ab inſidiis inimici animam confitentem tibi.

In lege tua Domine voluntas mea: paratum cor meum Deus, paratum cor meum ad cuſtodiendas omnes juſtificationes tuas.

Oratio Eccleſiæ. *Deus innocentiæ reſtitutor, & amator, dirige ad te tuorum corda ſervorum, ut ſpiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



4

De Tempore vitæ humanæ incerto, & brevi.

Vidiſti, ad quem finem ſis creatus, quantopere ab eo deflexeris: & quà reverti poſſis. Nunc duodecim ſtimulis urgendus eſt animus, ut finem illum reipsâ ſtrenuè proſequaris. Et primò quidem A *Tempus* tibi ſiſtitur, ut in eo vitæ humanæ incertitudinem, & brevitatem intuearis, nihílque ejus negligas, cujus ſolius avaritia honeſta eſt. *Tempore nihil pretioſius*, ait S. Bernardus, cujus vel *horam unicam* felicitati totius mundi præeligerent beati, & damnati omnes; hi, ut ſalutem, illi, ut gloriæ augmentum *æternum* operari poſſent. Sed quàm pretioſum, tam *incertum* eſt, & *breve*. Hoc volantis alæ pernicitate; hoc vix nati, ſuóque in ortu ſeneſcentis canitie; hoc omnia ſuccidentis, & ſecum abripientis falce denotatur, átque etiam quotidianâ experientiâ comprobatur. Quotidie efferuntur cadavera, quotidie tibi à dextris, & ſiniſtris cadunt juvenes, ſenes; robuſti, debiles; boni, mali: audis, & legis, ille occubuit gladio, ille aquis præfocatus eſt, ille ab alto lapſus cervicem fregit, ille ad epulas obriguit, ille inter choreas concidit, ille ſomnum produxit in mortem; alius igne, alius ferro, alius peſte, alius fulmine, alius latrocinio interiit. B Hæc ipſa hora, quâ iſta legis, cum morte dividitur; & dum perit ipſa, quàm plurimos alia cogitantes ad æternitatem rapit. C Nimirum evaneſcimus, ut fumus, & D ut bulla, ut aquæ ſpuma in auras abimus. Pertranſit homo mundum, ut E cervus agrum, ut F navis flumen, ut G ſagitta, & avis aërem, quorum omnium poſt modicum non apparet veſtigium. Hodie homo eſt, & cras non comparet. Et tamen ſic fugientis, & avolantis, & nunquam revertentis temporis, vitæq; minima habetur ratio, maximáq; illius pars nobis vel malè, vel nihil, vel aliud agentibus elabitur. Tranſit inter crepundia infantia; inter levitates, & libidines adoleſcentia, & juventus; inter vaniſſimas rerũ caducarum curas ætas reliqua. Præſentis diei viginti quatuor horas in computum voca: quot ex his ſibi rapiunt ſomnus non neceſſarius, gula, otium, ludi, confabulationes, inutiles diſcurſationes, & inanes occupationes; ſi quæ pietatis opera fiunt, cum quàm exigua pietate fiunt? Et eſto unus aliquis integræ virtutis actus interveniat, quid hoc ad 24. horarum ſpatium, quarum nullum eſt momentum, quo Deus non aliquod gratæ ſervitutis obſequium in æternitate remunerandum à te expectet. Sed deníque rei pretioſiſſimæ profuſiſſimi ſumus: perire ſibi diem nemo cauſatur: & cùm amicos noſtros bonis fraudari ab aliis ægrè feramus, fraudare verò turpe reputemus, noſmetipſos tamen decipi, & nobis deceptores eſſe non curamus, & quidem in re tanta, cujus jactura omnis eſt *irreparabilis*. Tu tibi ipſe injurius ne eſto; ſed dum *tempus acceptabile*, & *dies ſalutis* indulget Deus, H quodcúnq; poteſt facere manus tua, inſtanter operare, & indefeſſus, ac alacer in bonorum operum meſſem incumbe. Dum lucem habes, ambu-

ambula I Veniet nox, & comprehendent te tenebræ, & jam non poteris negotiari amplius. Una horâ ſpes, & res omnes ſuccidet. Nec eam procul ſepoſitam arbitrare: hæc ipſa forſan eſt ultima, & ſequentem tibi certò polliceri âbsq; temeritate non potes. Quodſi tamen iis polleas naturæ viribus, ut longævus ſis futurus, ſæcula tamen Mathuſalæ non numerabis: non enim perveniunt dies noſtri úſq; ad dies patrum noſtrorum, quibus peregrinati ſunt ſuper terram, ſed dies annorum noſtrorum, teſte Prophetâ Regio, *ſeptuaginta* anni; ſi in potentatibus, *octoginta* anni. At verò anni iſti non debent eſſe deſidiæ occaſio. Num tu divino obſequio fœces ſenectutis reſervabis, florémque ætatis mundo, & carni immolabis; ſi in nundinis diem *unicum* duraturis, poſt *nunquam* repetendis verſareris, ubi ea coëmenda eſſent, quæ octoginta, quos te victurum credis, annorum neceſſitati congruerent, an tu horam unam fugientis diei elabi otioſam patereris, quâ vel cogitationem futuri poneres, vel præſentem occaſionem incurius præterires? Atqui minus ſunt 80. anni (*tempus mercatûs*) ad longiſſimam æternitatem, cui proſpicere debes, comparati, quàm dies unus ad 80. annos. Eccur igitur feriaris? cur torpes? cur in poſtrema vitæ tempora differs ea agere, quæ te *beatum æternùm* efficiunt. Sed quibuſcúnque polleas viribus, vitæque prorogandæ ſubſidiis, mille ſunt mortis genera, quibus hâc ipsâ die perire potes. Et manet veritas Domini; K *horâ, quâ non putatis*. Quare omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum; & cùm manè fuerit, puta te ad veſperum non perventurum; veſpere autem facto manè non audeas tibi polliceri. L Securis ad radicem poſita eſt, ut primùm natus es; nam *prima, quæ vitam dedit hora, carpſit*, & quotquot deinceps fluunt horæ, totidem quaſi ictibus concuteris. Cades tandem; utinam non arbor infructuoſa, & arida. Et cùm tranſierint omnia inſtar fallacis ſomnii, aliud non ſupererit, quàm M ſempiterna bonorum operum *præmia*, aut malorum *ſupplicia*.

JACULATORIÆ.

Ecce breves anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non revertar, ambulo.

Tanquam fœnum velociter areſcam, & tanquam olera herbarum citò decidam.

Paucitas dierum meorum finietur brevi, & ſolùm mihi ſupereſt ſepulchrum.

Uſquequo ergo parvulus diligo infantiam, & ſtultus ea, quæ noxia ſunt, cupio?

Hora eſt jam me de ſomno ſurgere: paratus ero; ut, cùm venerit Dominus, inveniat vigilantem.

Oratio Eccleſiæ. *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur, & factis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


N
M
L
K
B
A
E
H
H
I

CONSIDERATIO V.
De Morte.

TRansactis tandem ſive pluribus, ſive paucioribus in hac vita annis hinc abeundum, & aliò migrandum erit. *Moriere* itáque, *moriere*; nolis, velis: *Moriere*, etiam in medio curſu gloriæ, in voluptatum affluentia, in fortunarum, rerúmque omnium abundantia. *Moriere deſerturus* omnia, & ab omnibus *deſerendus*. Divinâ lege *ſic ſtatutum eſt omnibus hominibus*. Nemo hinc exemptus. Qualem arbitraris fore tunc ſortem tuam? Qualem præſagis mortem? Ex *vita* tua conjice. Mors ingeniosè non magìs, quàm verè, *Echo vitæ* eſt appellata; ita *mala malæ*, *bona bonæ* reſpondebit. Id ut intelligas, ad eos, qui te præcedunt, converte mentem. Et obſerva primò unum quempiam moribundum, croceis innutritum, qui *duxit in bonis dies ſuos*. A. Enerve nunc jacet *corpus*, deſtitutum viribus, exacerbatum doloribus, oppreſſum anguſtiis, & tantò minus ægritudinis patiens, quantò magis innutritum deliciis. Angitur *animus* ad alterius mundi deductus confinia, & ad *æternitatis* aditum conſtitutus, viſurus mox novas regiones, puros ſpiritus, Judicem tremendum, tribunal juſtitiæ rigoroſiſſimum neſcius, quid ſecum ſit futurum. B Torquet interea graviter conſcientiam vermis commiſſi peccati; & ante oculos poſita transactæ vitæ turpitudo. C. Urgente morte cor palpitat, anhelitus premit, & ſubiens per membra gelu extremæ calamitatis ſudorem protrudit. D Dæmon animam tot ſceleribus obnoxiam ſibi vendicat, quæ recepit bona in vita ſua. E Unicum *ſolatium* eſſe poſſet à *virtute*; ſed qui vivens hanc non coluit, moriens de ea gaudere non poteſt. Si pœnitudo animum ſubeat, eſt illa Antiochi 2. *Machab*, *cap*. 9. qui *miſericordiam non eſt conſecutus*. F Fugítque occaſio ulterioris boni faciendi. Hæc enim juſta impii pœna eſt, ut cùm noluerit bene agere, quando poterat, non poſſit, quando volet. Moritur itaque infelix, & non tam ipſe deſerit vitia, quàm deſeritur à vitiis, nunc peccati ſtipendium *mortem æternam* percepturus. G Sic ludi, joci, facetiæ finem habent; ſilent citharæ, & tibiæ, evaneſcit omnium ſenſuum voluptas. H Aurum, argentum, pretioſa corporis indumenta, omnémque ſupellectilem rapiunt, qui poſſunt. I. Unica ſindon relinquitur deformi cadaveri tegendo. K. Corpore terræ mandato, & in vermes, ac putredinem abituro, ad ſua revertuntur hæredes, vultu ad mœrorem compoſito, animo ad riſum. L Si quis fortè ſepulchrum tranſiens magnorum nominum, opum, dignitatum, & rerum geſtarum meminerit, quid proderit? Canta, recanta ſapientiam, divitias, & gloriam Regis Salomonis, omnémque quadraginta annorum regni ejus felicitatem deprædica: *Tranſierunt* omnia; *fuerunt*, non ſunt: *Tranſierunt*. Verè vanitas vanitatum, & omnia vanitas præter *amare Deum*, *& illi ſoli ſervire*. Obſerva nunc alterum in mortis articulo M conſtitutum, qui uni Deo placere ſtuduit.

Hu-

Hujus ſi *corpus* ſpectes, non eximitur ſupremæ neceſſitatis anguſtiis, ad quas omnes humanæ conditionis lege damnati ſumus. Si *animum*, lætatur in his, quæ dicta ſunt: In domum Domini ibimus, & *eâdem facilitate carnem exuit, quâ veſtimentum.* S. Chryſoſtomus. Sperans in Domino ſperat, in quem credidit, quem dilexit, quem offendere timuit, quem colere corde, ore, viribus omnibus adlaboravit. Liber omni affectu opum, voluptatum, honorum, & caducarum rerum, quæ mortem difficilem reddere ſolent, ultrò cupit diſſolvi, tum ut juſtitiæ divinæ pro originali, & à ſe patratis peccatis quantocyus ſatisfaciat: tum ut deſinat Deum offendere, non ignorans illud S. Bernardi: *quantò diutius vivimus, tantò plus peccamus*: tum deníque ut ſit cum Chriſto Domino, ac Redemptore noſtro, quem cum Patre, & S. Spiritu in gloria, & majeſtate ſua clarè videre, perfectè amare, æternùm laudare unicè deſiderat. En mors *mala malis*, mors *bona bonis*, ſaltem juxta legem Dei *ordinariam*, & *communem*. Nunc tu de morte tua ipſe conclude, N ſimúlque de decretoria Supremi Judicis ſententia ominare, & fac nunc, quæ moriens facta fuiſſe voles. At mors *bona*, inquies, etiam quandóque *malis* obtigit: obtingere poteſt & mihi, qui latrone in paradiſum recepto deterior non ſum. Hæc ſcilicet peccatoris cantilena eſt, & præſumptio, privilegium ſibi pollicentis, quo & *malè vivere*, & *bene mori* poſſit. Sed ô te miſerum! cujus tota ſpes æternæ ſalutis tuæ *raro* exemplo nititur. Obtigit omnino mors bona malis, ſed ex mille uni. Finge nunc à Deo te moneri, ex eo millenorum cætu, in quo & tu numeraris, *unicum* poſt malè tranſactos annos finali gratiâ præveniendum, & ad electos migraturum, an tu illicò ſinè ſtoliditatis nota credere poteris te illum eſſe? Ut te ſecurum præſtare non poteſt, quòd à Dei toties offenſi dependet arbitrio, ita te debet acriter pungere, ut *malam mortem* tempeſtivo *bonæ vitæ* præſidio antevertas.

JACULATORIÆ.

PEccantem me quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat me.

Circumdabunt me inimici mei; & coanguſtabunt me undique. Adjuva me Domine, ne ſupergaudeant mihi tunc inimici mei.

Quando defecerit caro mea, & virtus mea, ne derelinquas me Domine.

Cum ambulavero in medio umbræ mortis, Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum tunc reſpice.

Cum conturbata fuerit anima mea, Domine miſericordiæ memor eris.

Domine JESU Chriſte Fili Dei vivi, pone Paſſionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam, & miſericordiam. Qui vivis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.


L
D
E
F
G
Illuminabit abscondita te= nebrarum et manifestabit consilia cordium
B
B
A
O
I
mor Sui.
H
K
N
C
C
C

De Judicio extremo univerſali.

CRedas, non credas, dies aderit, quâ hæc rerum facies ſpectabitur. Aderit, inquam, *dies iræ, dies illa,* A *ſolvens ſæclum in favilla:* Ignis námque ante ipſum (Judicem) præcedet, quo & purgetur mundus ab omni corruptibilitate, futurus deinceps incorruptibilis, & purificentur boni, & torqueantur mali. B Feralis tubæ clangor aures, animóſque percellet omnium, & ſuis è monumentis trepidos manes evocabit formidabilis illa vox: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* Commovebuntur omnia fundamenta terræ, ut reddant mortuos, & ſepultos ſuos. C Et in momento reſurgent impii deliciis innutriti, ſimúlque juſti jejuniis, & lacrymis macerati. Formâ tamen diſpari. Nam *omnes quidem reſurgemus, non omnes tamen immutabimur.* Reſurgent itaque *impii* in carne, quam tot foverunt deliciis, quam tot depravârunt ſceleribus, ſed ardentibus involuti flammis, toſti ſulphure, fœditate ſqualidi, atrore deformes; & ſtridore dentium, diróque ululatu ſuorum dolorum acerbitatem prodent. Reſurgent *Juſti*, lætitiâ geſtientes, gloriâ & honore coronati: dotati *Impaſſibilitate*, quæ morbos, mortem, & omne dolorum genus arceat: *Subtilitate*, cui nihil ſit impervium: *Agilitate*, quâ ſpatiis loci omnibus præſentes eſſe poſſint momento temporis: *Claritate*, quâ ſole fulgentiores ſe ipſos, & alios amabiliſſimè colluſtrent. D Aderit interea Rex tremendæ Majeſtatis: *Veniens in nubibus cum virtute multa, & gloria, cum poteſtate magna, & majeſtate; & omnes Angeli ejus cum eo,* corporibus admirabili ſplendore & gloriâ coruſcantibus induti, victoriámque, & encomia inter cœleſtis aulæ inſtrumenta muſica ſonorè decantantes venienti ad judicandum Regi Regum, & Domino Dominantium. Externam eam Chriſti ex hoc Angelico comitatu Majeſtatem, amabilem juſtorũ, terribilem improborum oculis, tu cogita. Cùm enim ne unus quidem Angelus in cœlo remanſurus ſit, multitudo verò Angelorum (juxta eximiorum Doctorum ſententiam) tanta ſit, ut excedat numerum rerum materialium omnium, etiam arenarum littoris maris, aliorúmque minutiſſimorum corporum, ô quanta Magnificentia! Is certè erit ſolus *externus* apparatus, & pompa, ut ex mente Doctoris Angelici omnes infideles ábſque eo, quòd videant Divinitatem Chriſti, fideíque lumine deſtituti ſint, agnituri tamen ſint illicò *Judicem* hunc *DEUM* eſſe. Sed ſuperabit alia omnia ipſe *Divini vultûs fulgor.* Si enim, dum adhuc in terris Chriſtus humilis morabatur, teſte S. Hieronymo fulgor Majeſtatis, & Divinitatis occultæ in humana facie relucebat, quantò magìs die illo ſplendeſcet, quo non in humilitate, ſed *majeſtate*, non ad celandam, ſed *manifeſtandam* mundo toti *Divinitatem* ſuam deſpectus, & crucifixus olim Dominus comparebit. Et tunc parebit ſignum Filii Hominis in cœlo, quod eſt ſignum *Sanctæ Crucis.* Et ipſe ſedebit ſupra ſedem

dem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. O quantus tremor eſt futurus! quando judex ſic eſt venturus, cuncta ſtrictè diſcuſſurus. E Tunc ergo illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium, & *nihil* tam erit occultum, quod non reveletur; nam *cuncta, quæ ſunt, adducet Deus in judicium.* Quæ tunc juſtorum, quæ impiorum ſenſa? qui affectus, perorantibus ad tribunal Juſtitiæ pro Juſtorum beata retributione F Cuſtode Angelo, & G virtute? arguente è contra pro impiorum condemnatione H dæmone, & peccato? Verè Thomas Kempenſis: tunc plus ponderabit contemptus divitiarum, quàm totus theſaurus terrigenarum: tunc magìs conſolaberis ſuper devota oratione, quàm ſuper delicata comeſtione: tunc plus exultabit caro afflicta, quàm ſi in deliciis fuiſſet ſemper nutrita: tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit deſpectus eſſe. I Erit, qui Filiis Dei annumerari volet, ſed qui *hædus* vixit, *ad hædos* rapietur. K Erit, qui virtuti mancipare tunc ſe totum cupiet, ſed ſerò nimis: nam dies eſt non *meriti*, ſed *retributionis*, ut ſententiâ æternùm non revocandâ recipiat unuſquíſque, prout geſſit in corpore ſive bonum, ſive malum, L ſempiterna præmia, vel M ſupplicia. Tunc ergo dicet Rex his, qui à dextris ſunt: *Venite Benedicti Patris mei*, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Dicet & his, qui à ſiniſtris ſunt: *Diſcedite à me maledicti* in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Et ibunt hi N in ſupplicium æternum: Juſti autem O in vitam æternam. Et hæc erit conſummatio ſæculi hujus, hic finis laborum hominum, hic exitus univerſæ carnis. Tu ſi cum *juſtis* magìs, quàm cum *impiis* tunc reſurgere optas, nunc tibi conſule; *prohibe pedem tuum à ſemitis peccatorum; & ſectare juſtitiam, ac pietatem.*

JACULATORIÆ.

Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicium Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo?

Domine quando venies judicare, ubi me abſcondam à vultu iræ tuæ; quia peccavi nimis in vita mea.

Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco: Domine quando veneris judicare, noli me condemnare.

Ne recorderis peccata mea, dum veneris judicare ſæculum per ignem.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt, & terra.

Oratio Eccleſiæ. *Domine JESU Chriſte, qui de cœlis ad terram de ſinu Patris deſcendiſti, & ſanguinem tuum pretioſum in remiſſionem peccatorum noſtrorum fudiſti: te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venitè Benedicti: Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.*


A
L
AMOR DEI
B
C
D
E
F
G
H
I

De Vita venturi ſæculi.

IBimus ergo, ô quisquis hæc legis, tu, & ego, *ibimus* demum cum electis A in *vitam æternam* ubi omne bonum: vel cum reprobis in *ſupplicium æternum*, ubi omne malum. Lubeat nunc eminus proſpicere, *ubi? Quibuſcum? Qualiter? Quamdiu* inibi victuri ſimus? *Sedes electorum* cœlum eſt Empyreum, cujus ſtructuram ex Jaſpide, & omni lapide pretioſo ex cryſtallo, & auro mundo, ac pellucido, claritate Dei fulgentem vidit dilectus Chriſti diſcipulus Apocal. 21. Eſt *locus* (attende) *habitationis GLORIÆ DEI. Concives* ſunt Auguſtiſſima Mater Dei, eadémque Regina Cœli; Angelici Spiritus, Sanctique omnes, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione mirâ meritorum varietate ſuos in ordines diſtincti. Ibi *vivere* eſt beari omni felicitate: eſt inquam *Intellectu* clarè videre, & contemplari incomprehenſibilem pulchritudinem Divinæ Eſſentiæ & Attributorum: admirandum, adorandúmque myſterium *Trinitatis* Perſonarum in *Unitate* Naturæ, ſive *TRES UNUM*: duas naturas in una perſona, ſive *CHRISTUM* Deum verum, & hominem verum, ínque eo velut in ſpeculo, omnia fidei noſtræ myſteria, & quidquid ad perfectæ Beatitudinis ſtatum cuíque congruit. *Voluntate* ſummo bono uniri amando, fruendo, gaudendo. Deliciari *Viſu* corporeo, in corporum glorioſorum, præſertim Humanitatis Chriſti, & Deiparæ ineffabili ſplendore, & pulchritudine, cœlorúmque, & totius univerſi mirabili ſtructura: *Odoratu* in ſuaviſſima fragrantia, quam eadem beata corpora ipsíque cœli ſpirant: *Guſtu* in dulciſſimo liquore omnem ſaporem continente: *Tactu* in oſculis Sanctorum vulnerum Chriſti invitantis: *Palpate, & videte*; caſtiſſimísque amplexibus Beatorum: *Auditu* in amabiliſſima cœleſtium chororum muſica. His fruentes exultabunt lætitiâ inenarrabili, & cantantes cantabunt Domino, qui pro modico hujus vitæ obſequio bona tribuit illis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. A a *Habitatio reproborum* paucis deſcribitur à miſero ejuſdem loci incola divite epulone Luc. 16. *locus tormentorum*. Plura ne quære, identidem repetet: eſt *locus tormentorum*. Infelices *incolæ* ſunt omnes maledicti Angeli, & homines, in Deum, & cœlites blaſphemi, in ſe, ſocióſque effrænes furiæ, rabidíque canes. *Hìc vivere* eſt *ſemper mori* præ tormentorum multitudine, magnitudine, & atrocitate. Duas in genere diſtinguunt pœnas Theologi, *ſenſûs* & *damni*. Pœnâ *ſenſûs* torquentur, & enormiſſimè torquentur omnes potentiæ animæ, & corporis, omnia membra, oſſicula, articuli, nervi, arteriæ, venæ, fibræ. Collige in unum acutiſſimos dolores ægrotantium, ſupplicia latronum, cruciatus martyrum, & quidquid excogitare poteſt omnis crudelitas; hæc omnia unius damnati tormenta non modò non exæquant, ſed ne adumbrant quidem. Eſt autem tor-

tormentorum omnium graviſſimum pœna *damni*, in eo conſiſtens, quod anima in baptiſmo ſortita *jus Regni Dei* poſt mortem poſſidendi, *jus* iſtud propriâ malitiâ turpiter amiſerit, indéque ipſâ poſſeſſione Regni Dei privetur ábſque ſpe illud unquam recuperandi. Nequit hæc pæna verbis exprimi; conjici aliqualiter poteſt ex dolore illo animi, quem in nobis cauſat jactura grandis alicujus boni, quod turpiter à nobis neglectum eſt, & recuperari poteſt nunquam. *Duratio* gaudiorum & tormentorum eſt *Æternitas*, deſitura *Nunquam*, duratura *Semper*. O Nunquam! ô Semper! B Numera, ſi potes, & computa *ſtellas cœli*, *ſtillas roris*, *undas aquei fluoris: guttas imbris pluvialis, floccos velleris nivalis: quot ſunt Vere novo flores; quot odores, quot colores, quot vinaceos Autumnus, poma legit & Vertumnus: Et quot grana tulit Æſtas, frondes Hyemis tempeſtas: totus orbis animantes, aër atomos volantes, pilos feræ, pecus villos, vertex hominum capillos: adde littoris arenas, adde graminis verbenas: tot myriades annorum, quot momenta ſæculorum*, necdum *ÆTERNITATIS* annos attigiſti. C Sed nec attinges: nam citiùs vaſtiſſimum oceanum exigua terræ foſſula comprehendet, quàm *finitus* intellectus horas, dies, hebdomadas, menſes, annos, ſæcula *infinita*. D Hæc porro felix, & infelix *Æternitas* ab unico momento mortis dependet. Nam ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem ceciderit arbor, ibi manebit. E *Tempus* enim non erit ultra. F Nec *occaſio* merendi, aut demerendi. G Sed neque *mors*, niſi improbis æterna. H Inferno æternùm claudet peccatum mortale etiam *unicum*. I Optare tunc horam unam pœnitentiæ, inane votum erit. K Ridebunt ſimilia vota dæmones quorum ſuggeſtionibus conſenſit peccator. L Utra te maneat Æternitas, *felix*, an *infelix*, ſoli Deo notum eſt. Conjicere tamen non obſcurè id potes ex cogitatis, dictis, & factis tuis, quibus ſi *Deum* quæris, *felicem*, & omnibus bonis cumulatam: ſi *te ipſum* ſpectas, *infelicem*, & omnibus malis refertam tibi ipſi præſagis *Æternitatem*.

JACULATORIÆ.

QUàm dilecta tabernacula tua Domine, ubi non eſt luctus, néque clamor, ſed nec ullus dolor.

Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.

Fulgebunt ſicut ſol in conſpectu tuo: lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.

O Pater miſericordiarum, fac me ſicut unum de mercenariis tuis in domo tua?

Et ne perdas cum impiis animam meam, quoniam in inferno quis confitebitur tibi?

Oratio Eccleſiæ. *Deus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparâſti: infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



8

De Virtutis excellentia, & vitii deteſtabilitate.

SI corporeîs oculis *Virtus* cerneretur, miros omnium hominum in ſe excitaret amores: Romani Tullii, & Gentilium Philoſophorum eſt hoc pronunciatum. Tam eſt pretioſa, formoſa, amabilis virtus. *Vitium* ex adverſo tam eſt vile, fœdum, & deteſtabile, ut S. Anſelmus diſertè edixerit: Si hinc vitii pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, mallem purus, & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere. Utrúmque in ſtatera appende, & expende. A *Virtus* in eo conſiſtit, quòd finem creationis tuæ *mentis obtutu* reſpicias, *Affectu* velis, *opere* procures Hoc autem ipſiſſimum eſt, quod verè *bonum*, *magnum* & *beatum* efficit. Hoc Deus, Angeli ſancti, quin & ipſi perverſi homines in pretio habent. Hoc B intellectum adornat prudentiâ, & veritate, ut, quid agendum, quid omittendum ſit, intelligas: voluntatem C juſtitiâ, & æquitate perficit, ut neminem lædas, alienum non vendices, omnibus proſis, cuíque, quod ſuum eſt, tribuas: armat D fortitudine, ne, cùm labores, pericula, & adverſa ingruunt, animus ſuccumbat, ſed erectus conſiſtat ſub quolibet pondere: moderatur E temperantiâ, ut voluptates ſuperfluas omnes abigas, neceſſarias non aliter admittas, quàm recta ratio poſtulat, id eſt, non propter ipſas voluptates, ſed propter corporis neceſſitates. Quâ vivendi methodo à *brutis* diſcerneris: *homo* eſſe, & vivere vitâ *morali* (quæ utique nobilior eſt vitâ phyſicâ) incipis: ipſis aſſimilaris *Angelis*: imò Angelus in carne humana degis, expeditus ſemper & alacer F ad currendam viam mandatorum Dei cum lætitia, & exultatione, etiam in ſumma rerum omnium penuria. Deníque ad eam dignitatem extolleris, quâ major excogitari nequit, ut non jam *ſervus*, ſed *amicus*, imò *filius*, & *hæres Dei*, *cohæres* autem Chriſti nomineris, & ſis; adeóque poſt emenſum hujus vitæ ſpatium G *jure hæreditario* intres in gaudium Domini tui unâ duce *Virtute*, beatè victurus, & regnaturus in ſæcula, H quò unicè te creatum eſſe alibi vidiſti. Verè omne deſiderabile non poteſt ei (*virtuti*) comparari. Præponderat regnis, & divitiis, pretioſa ſuper aurum, & topazion, & lapidem pretioſum multum. I *Vitii* in ſe ſpeciem ut aliquatenus animo concipias, fœdiſſimum cacodæmonum contemplare: quo quid fœdius, quid deteſtabilius cogitari poteſt? Atqui omnis ejus fœditas, & deteſtabilitas à *ſolo peccato* dimanavit; quantùm deinde malorum diffundat *in alios*, ut per umbram intelligas, finge venenum, cujus gutta unica tantæ eſſet malignitatis, ut fontes, torrentes, flumina, ipſúmque immenſum mare momento temporis inficeret. Quàm deteſtabile venenum iſtud exclamares. Vitium eſt, quod non mare duntaxat, ſed aërem, ignem, terram, aliáſque creaturas omni malignitate, quam tot retrò ſæculis experti ſumus, venenavit. Hoc peſtem, famem, bella, mortes, & funera in Reges, & populos induxit, &

aqua-

aquarum diluvio mundum univerſum ſepelivit: Paradiſi deliciis primos parentes extruſit: ipſo cœlo Angelicos thronos, & poteſtates deturbavit: infernum igne ſuccendit nunquam extinguendo. Ipſum Deum incircumſcriptæ bonitatis oceanum eò úſque amaritudine complevit, ut *dolore cordis, & pœnitudine intrinſecùs tangeretur*, quòd hominem creâſſet. Demum quæ *damna in te* vitium operetur, obſerva. K Oſtentat ſumma quæque, etiam coronas, & ſceptra. interim compedes injicit, ſauciat lethaliter triplici concupiſcentiarum telo, & ſervituti mancipat infernalis tyranni. Inducit L *mentis cæcitatem*, & ſtultitiam, ut falſis opinionibus metiaris omnia: M *contemptum legum* divinarum, & humanarum, ut agas, non quod licet, ſed quod libet: N *intemperantiam*; ut ſpreto modico, quo natura contenta eſt, quæras ventri, quidquid volat in aëre, quidquid natat in undis, quidquid latet in ſylvis: O & *acediam* ut velis, & non velis, piger: ſemper varius, & inconſtans, tibi gravis, aliis moleſtus, pertæſus res ſalutis. P Retinet te mundi vinculis, & concupiſcentiis, volentem gradi viam ſalutis, aut ſaltem greſſum facit teſtudineum. Q Quin ipſi jam vicinum cœlo, excellentiſque ſanctitatis gradum aſſecutum inde detrahit, unâque ſpoliat gratiâ ſanctificante, infuſis S. Spiritûs donis, virtutibus, ſpeciali Dei providentiâ, & protectione, Angelorum tutelâ, participatione bonorum Eccleſiæ, & propriorum omnium bonorum operum fructu; deníque efformatum te ad imaginem D E I ſpurciſſimo cacodæmoni ſimillimum, Deóque & cælitibus exoſum, & abominabilem efficit, R exultantibus inter hæc ſpiritibus immundis de acceſſione ſibi per te facta. En nunc ante te Vita, & Mors, Bonum, & Malum; nam paſſim, & ubíque S occaſio virtutis, & T occaſio vitii. Tua eſt optio: elige vel inde coronari cum filiis Dei, vel hinc illaqueari cum mancipiis Diaboli.

JACULATORIÆ.

Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore.
Erunt tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.
Benedictio Domini ſuper caput juſtorum: & omnia quæcúnque facient, proſperabuntur.
Non ſic impii, non ſic: ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.
Gloria eorum ſtercus: contritio, & infelicitas in viis eorum.
Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Oratio Eccleſiæ. *Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum; inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias. Per Dominum noſtrum* J E S U M *Chriſtum Filium tuum. Amen.*


I
H
L
E
K
G
B
A
C
A
F
G

De Impiorum vanis, & fœdis, Juſtorúmque ſolidis, & limpidis voluptatibus.

AGnoſco, inquies, virtutis pretium, agnoſco vitii fœditatem, ſed trahit ſua quémque *voluptas*. Bene eſt; ſi *voluptate* traheris, etiam hoc nomine te ad *divinum* obſequium invito. Communis quidem error eſt, triſtem eſſe vitam Deo ſervientium, hilarem verò eorum, qui naturæ genio liberaliùs indulgent. At ſi utrorúmque ingrediaris conſiderationem, advertáſque omne gaudium fundari in aliquo *bono poſſeſſo*, aut *ſperato*, & quale hoc bonum eſt (*verum*, vel *falſum*, *ſtabile*, vel *fluxum*) tale eſſe & gaudium, facilè te hoc errore liberabis. A Sunt omnino bona, ſunt gaudia ſua peccatoribus. *Induuntur purpurâ*, & *byſſo*, *& epulantur quotidie ſplendidè: vino pretioſo, & unguentis ſe implent, & non prœterit eos flos temporis*; *tenent tympanum*, *& citharam, coronant ſe roſis, & ubique relinquunt ſigna lætitiæ. Dormiunt in lectis eburneis, & laſciviunt in ſtratis ſuis.* B Theſaurizant ſibi in terris: jucundantur calice aureo Babylonico; gloriam ab invicem accipiunt, imperant ac dominantur, vel dominantibus adhærent. Verùm omnia hæc *bona*, & *gaudia* ex C carnis, & rerum terrenarum cloaca originem ducunt, ſúntque vel *turpia*, & *brutalia*, quia brutis communia (quæ utique alia bona non nôrunt, quàm comedere, bibere, dormire, ſaltitare, gignere) & homines in bruta deformantia, dum ad inſaniam deducunt: vel *vana*, & *fugacia*, quia in ortu ſimul, & occaſu perfluunt, ac dilabuntur, & cor hominis non exſatiant; deníque tam homine *indigna* ſunt, ut ipſi, qui hæc ſectantur, horum ſectatores, *avari* inquam, *guloſi*, *libidinoſi*, *ambitioſi* videri erubeſcant, & quandóque etiam in ſecretiſſimo pœnitentiæ tribunali Chriſti Miniſtro ea occultent, præeligentes æterna tormenta poſt mortem ſubire, quàm tam fœdarum voluptatum amantes ſe fateri. Agnoſcunt nimirum D fœditatem, vanitatem, & ſtultitiam gaudiorum ſuorum, E ſentiúntque cor ſuum inſtar vexilli expoſitum monſtroſis affectibus quaquaverſum circumagi. F Tandem extrema gaudii luctus occupat, & poſt momentaneum, quod delectat, ſupereſt æternum, quod cruciat. Melior eſt conditio *Juſtorum*, quia G verè gaudentes gaudent in Domino ſemper, jubilant Deo, & ſerviunt ei in lætitia. Nam I. præterquam, quòd bonis temporalibus non deſtituantur; paſcente, & veſtiente illos, qui paſcit volatilia cœli, & veſtit lilia agri, in cujus benedictione *melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas*, primò, inquam, liquidiſſimo perfunduntur gaudio, quòd ſe liberos eſſe à malo malorum maximo, & unicâ omnis triſtitiæ causâ, *peccato*, in Domino confidant. Vel enim primam innocentiam conſervârunt, vel peccata commiſſa per pœnitentiam expiârunt. Et quæ major lætandi cauſa, quàm *ſecura mens*, quæ juge eſt *convivium*? Quære ex ipſo impio, cùm ad tempus reſurgit, an

an non majus ſit ſolatium peccato non gravari, quàm carni, & mundo immolari? 2. Exultant, quia eximiis à Deo donis *ſpiritualibus*, iiſque *permanentibus* cumulantur. *Intellectus* quippe cogitationibus excelſis de Deo, Deíque magnalibus, de vera hominis felicitate, & mediis ad eam conſequendam illuſtratur, claret Sanctorum ſcientiâ, rerum humanarum, divinarúmque diſcretione, juſtâ æſtimatione præſentium, providentiâ futurorum. *Voluntas* auro charitatis, aliarúmque virtutum theſauris etiam inter ipſas humanarum actionum ſordes tanquam margaritis in fimeto repertis locupletatur. *Anima tota* ſanctificante gratiâ nobilitatur, Deíque filia effecta dulciſſimis affectibus Deum intra ſe complectitur, cujus utíque præſentia eſt ſuper mel, & omnia: *quid enim ſic delectet, ut ille, qui fecit omnia quæ delectant* S. Auguſt. 3. Gaudent, quia *nomina ſua ſcripta ſunt in cœlo*; habent enim *ſpem certam* futurorum bonorum. Imò jam nunc H corde per virtutem in cœlo fixi ea gaudia prægustant, & de perenni I Divinitatis fonte limpidiſſimis conſolationibus affluunt exultantes *in re*, de lætitia *in ſpe*, lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ. K Tanta eſt hæc exultatio, ut Xaverios exclamare cogat: *ſatis eſt Domine, ſatis eſt*: & L Antoniis, Paulis, Macariiſque breves, dulcéſque reddat totas inſomnes cum Deo transactas noctes. Veriſſimè S. Auguſtinus: Juſtis non ſubtrahuntur deliciæ, ſed commutantur *illicitæ* in *licitas*, *fluxæ* in *ſolidas*, *fœdæ* in *puras*. Dices, grave, ac violentum accidit non frui *bonis*, quæ ſunt. Dicere debebas, non grunnire cum porcis, non vorare cadavera cum vulturibus, cum ranis, & buffonibus cœno non innatare. Partis *ſenſitivæ* & *brutalis* hæc ſunt bona, non *animi*, qui nobilior pars eſt hominis. Sed *multæ tribulationes Juſtorum*. At *ſuperabundant gaudio in omni tribulatione ſua*: & velut ſcintilla in mare decidens, ſic omnis tribulatio externa à gaudio virtutis abſorbetur. S. Chryſoſtomus.

JACULATORIÆ.

Dulcedo peccatorum, vermes: ſpiritus procellarum pars calicis eorum.
Ego autem delectabor in Domino, & exultabo in Deo JESU meo.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine: dulciora ſuper mel & favum.

Gaudebunt labia mea, cùm cantavero tibi: & anima mea, quam redemiſti.

Teſtimonia tua exultatio cordis mei ſunt, quia in ipſis vivificâſti me, & indumento juſtitiæ circumdediſti me.

Oratio Eccleſiæ. *Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis; id deſiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



10

De afflictione interna impiorum, & de pace, aliiſque divinis favoribus juſtorum.

QUibuscúnque tandem bonis, & gaudiis affluas, miſer es; ſi *pax cordis*, ſeu animi quies exulat. Nam *jucunditas cordis hæc eſt vita hominis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium* Eccl. 30. A Pax cordis comes eſt ſolius B *virtutis*. Hâc qui gaudet, gaudet & illâ; hâc qui caret, caret & illâ. Tu veritatem iſtam contemplare, partim in magno Dei ſervo C Franciſco, partim in alio de grege divitum epulonum D homine quopiam. Hic cum Salomone magnificat opera ſua, ædificat ſibi domos, & plantat vineas; facit hortos, & pomaria, & conſerit ea cuncti generis arboribus: exſtruit ſibi piſcinas aquarum; poſſidet ſervos, & ancillas, multámque familiam. Habet armenta, & magnos ovium greges: coacervat ſibi argentum, & aurum: facit ſibi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & urceos ad vina fundenda: & omnia, quæ deſiderant oculi ſui, non negat eis: verbo, innatat totus mundi opibus, & ſenſuum voluptatibus, gaudétque gloriâ, & poteſtate, *hanc rarus ſuam partem, & requiem.* Sed mundum licet poſſideat ſolus univerſum, in his omnibus (audi, & intellige) *vanitas, & afflictio animi. Non eſt*, non eſt *pax impio*; non eſt pax oſſibus ejus: ſed *tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*, ut vel ad folii volantis ſonitum contremiſcat, ipſámque ſui umbram exhorreſcat, fugiátque nemine perſequente. E Flagellat enim aſſiduè animum domeſtica iniquitas, tantóque violentiùs, quantò ſecretiùs: mordet ut coluber mala conſcientia, & eſt ſceleris in ſcelere ſupplicium, etiam inter epulas, ſenſuúmque omnium accumulatas voluptates: ardet in corde fax bellorum omnium cupiditas; tumultuantur curæ, & ſolicitudines, odium, ira, rancor, invidia, ambitio, libido, peſſimi infernales manes: cruciat memoria, & timor mortis, affligit horror judicii, enervat calamitas futuri ſæculi. Hærent, & terrent voces Dei: *væ impio*; væ ſemini nequam; væ vobis divitibus; væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum; væ qui ſaturati eſtis; væ vobis, qui ridetis nunc: *maledictus* omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis; maledictus in civitate, maledictus in agro; maledictus ingrediens, maledictus egrediens, &c. Denique S. Ambroſii eſt ſententia, *impii etiam cùm vivunt, infernum patiuntur*: ſunt enim 1. *mancipia diaboli.* 2 Habent *pœnam damni* conſolationibus de cœlo privati. 3. Habent *pœnam ſensûs* remorſu conſcientiæ cruciati. *Juſtus* ex adverſo F cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, poſt aurum non abit; nec ſperat in pecuniæ theſauris, omnémque mundi pompam, & lucra arbitratur ut detrimenta, quærens, non quæ ſua ſunt, ſed quæ *JESU* Chriſti, & ecce *factus eſt in pace locus ejus.* Dum enim res omnes fluxas, & muta-

biles tranſcendit, Deóque ſoli, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, firmus adhæret, quaſi leo confidens ábſque terrore eſt; non timet mala, etſi ambulaverit in medio umbræ mortis, &. conſiſtant caſtra adverſùs eum: quidquid ei acciderit, non contriſtabit eum: manet ut ſol in ſapientia ſua: ſive proſpera attollant, ſive adverſa deprimant, conquieſcit blandè in omnia diſponente ſuaviter Deo. Paci internæ animi accedunt honor, & gloria, aliique favores divini. Nam ecce G dum in eremo ſe abſcondunt & latere quærunt Antonii, Romualdi, conſpicui, & venerabiles fiunt Conſtantinis, Otthonibus, Henricis, Magnis Imperatoribus, ut hi palam exclamare non dubitarent: *ô ſi anima hæc mea domicilium haberet corpus hujus ſervi Dei!* Credebant ſcilicet animam ſuam anguſtiùs habitare non poſſe, quàm in religioſi hominis exhauſto corpore. H Franciſcæ Romanæ, dum mundi illecebras contemnunt, cæleſtium Geniorum viſibili conſortio recreantur, & familiari conſuetudine decorantur. I Magdalenas, dum pœnitentiæ, & perfectioni inſiſtunt, iidem Genii in aëra, tanquam in cælos ad Dilectum attollunt. K Catharinas Senenſes, ipſe Chriſtus familiaritate ſuâ dignatur, & (quis crederet, niſi amoris ſui vim pluribus conteſtatus fuiſſet) erepto Catharinæ corde, cor reponit ſuum. L Poſt mortem quóque memoria juſtorum permanet cum laudibus, & cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, ſepulchra ſervorum Dei aſylum ſunt gentibus, & populis in malorum omnium levamen: huc ſupplicationes confluunt, huc diriguntur vota, huc mittuntur donaria, & ſummi honores, ſacris cineribus deferuntur. Deníque ſtat verbo ſuo Dominus: *qui glorificaverit me, glorificabo eum*, & cùm probatus fuerit, M accipiet coronam vitæ. *Qui* autem *contemnunt me*, *erunt ignobiles*; & in contumelia inter mortuos in perpetuum: memoria eorum peribit, & nomen eorum putreſcet.

JACULATORIÆ.

QUis reſtitit illi (Deo) & pacem habuit? Multa flagella peccatoris: & mors peccatorum peſſima.

Pax multa diligentibus legem Domini. Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.

Quid ergo mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

In te requieſcit ſpiritus meus Deus cordis mei.

Oratio Eccleſiæ. *Libera nos quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris: & da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


Crede
Dilige
Spera
Quomodo
Cur

De Exemplo Chriſti ad hoc nati, & in mundo converſati, ut nos doceret rectè vivere.

DUplicem aſſerunt SS. Patres finem A Chriſti adventûs in hunc mundum. *Primum*, ut genus humanum à dæmonis ſervitute redimeret, & Patri cœleſti reconciliaret: quod quacunque Chriſti Theandricâ actione perfici poterat; ſufficiebat enim vel unum ejus ſuſpirium, utpote *infiniti* valoris, etiam mille mundis redimendis. *Alterum*, ut nos doceret normam vivendi, viamque oſtenderet ad cœlum: quod vitam ejus totam requirebat. Etenim dupliciter nos inſtituere amantiſſimus noſtri Magiſter voluit, *verbo veritatis*; B quod ultimo vitæ triennio, tum aliàs, tum in monte, ubi de beatitudinibus diſſeruit, abundè præſtitit; & *exemplo vitæ*, quod triginta tribus omnino annis nobis dedit, ut *quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus*. Quicunque ergo Chriſtum hoc fine incarnationis ſuæ, atque etiam te ipſum fructu, gloriâ, & honore ſequelæ Chriſti non vis fraudare, inſpice, & efforma C in corde tuo, quæ geſſit, & tulit, ipſoque opere imitare. Sit autem cor mundum, & quod D *pax* ſuſtentet; carnalis enim homo, & perturbatus animus non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs. Ecce igitur E DEI Filius ante Luciferum genitus, Lumen, & Splendor Patris, Rex ſæculorum, Dominus Dominantium exinanivit ſemetipſum, F & formam *ſervi* accepit, *homo* factus. G Natus in ſtabulo, cùm tota urbe non eſſet ei locus in diverſorio; & collocatus in præſepio, cùm non haberet, ubi caput reclinaret. Idque horrido brumali tempore, nocte intempeſtâ, inter ſævientes aëris, cœlique injurias. Hic Chriſti in mundum ingreſſus fuit. Vix dum natus erat, jam ad necem quæſitus, & exulare inter Ægyptios coactus fuit; nec niſi poſt ſex ſeptemve annos patriæ redditus; ubi ad annum uſque ipſum triceſimum Joſepho, & Matri pauperculæ *ſubditus* tam obſcuram duxit vitam, ut (ſi unum diem excipias, quo ſe Hieroſolymis in medio Doctorum *ſpectabilem* exhibuit) non niſi *fabri filius* haberetur. Quæ res admiratione profectò digniſſima vel inde erat, quòd venerit *erudire & ſalvare homines, Patriſque gloriam promovere*, functio verò iſta ſanctiſſima progreſſum in publicum, & ejus cum hominibus converſationem vel maximè urgere videretur. Latebat tamen. Cur? Non ut addiſceret, quæ docturus erat; nam ipſa ſapientia erat: non quòd periculum metueret ex converſatione cum hominibus; nam ipſa ſanctitas erat: non quòd moroſæ eſſet indolis; nam deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum: ſed ut nos H ex barathro ſuperbiæ noſtræ, & vitiorum ipſo eximiæ humilitatis ſuæ *exemplo* extraheret, & I virtutem omnibus mundi honoribus præhabendam, ejuſque K occaſionem omni loco, & tempore ſollicitè obſervandam eſſe ipſo *facto* doceret. Quod ipſum tribus poſtremis vitæ ſuæ annis egit, quos ſi à ſacris Evangeliſtis deſcriptos inſpicias, comperies ſanè Dominum tuum ſpecialiter

liter *paupertatem*, non divitias : *humilitatem*, non honores : *mortificationem*, non voluptates ſenſuum ſemper adamâſſe. Indulge hìc piis animæ tuæ affectibus, quos gratia divina ſuggeret. Præcipuè tamen L *admirare* altiſſimam Chriſti ſapientiam reſpuentem, quæ mundus amat, & amplectitur; & præeligentem, quæ mundus horret, ac deteſtatur. Dic cum S Bernardo : *aut Chriſtus errat*, *aut mundus*, cùm tam contraria eligat uterque : *ſed Chriſtus errare nequit*, quia æterna ſapientia eſt, *Ergo errat mundus*. M *Adora* cum profundiſſima demiſſione tam exinanitam tui causâ Majeſtatem. N *Gratias age* pro hoc tanto beneficio ; & quia nunquam ſat gratus eris, niſi ejus imiteris virtutes, accendere, cùm te O aliquâ ſanctâ inſpiratione tangi ſentis, earundem virtutum deſiderio, prout ſtatui, & conditioni tuæ congruunt. Divitiæ, & honores ſi affluant, non majori habe in pretio, quàm Chriſtus habuerit. Cæterùm quò P cum Maria & Joſeph *propiùs* Chriſto te adjunxeris, & conformaveris, eò tui erga Chriſtum amoris teſtificatio ſincerior, eò honor, & gloria ejusdem Chriſti, & Dei major erit. Ah pudeat, quòd cùm credas fuiſſe *Gentiles* aliquando tam ſui Regis amantes, ut vel cæcum effoſſione oculi, vel mancum reciſione manûs æmularentur; tu tamen nec in exiguis *Regem gloriæ* imiteris, cujus *fidelis* vis appellari. Non exigit ille à te mutilationem membrorum, ſed Q ut abnegans impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, & juſtè, & piè vivas in hoc ſæculo, ipſique ſaltem *corde* adhæreas, qui eſt *Via*, *Veritas*, *&* *Vita*. Quid cunctaris ? *Crede* R fide vivâ Chriſto ſeverè pronuntianti : *qui non ſequitur me*, *non eſt me dignus* : *ſpera* S firmiter, & certò confide te ſic vivere per Chriſtum poſſe, ut vivas jam non tu, vivat verò in te Chriſtus. *Ama* T denique charitate ardente eum, qui prior, & cùm adhuc inimicus eſſes, nimiâ charitate te dilexit. Et nihil impoſſibile erit ſic *credenti*, nihil difficile ſic *ſperanti*, & *amanti*.

JACULATORIÆ.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.

Sequar tamen te, Magiſter Optime, quocunque ieris. Fac me conformem fieri ſanctiſſimæ Humanitati tuæ.

Fiat cor meum tanquam cera liqueſcens, & ponam te ut ſignaculum ſuper illud.

Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, Via, Veritas, & Vita : qui ſequitur te, non ambulat in tenebris. Trahe me poſt te, curram in odorem virtutum tuarum.

Hoc ſentiam in me, quod & in Chriſto J E S U: *ambulabo ſicut & ipſe ambulavit.*

Oratio Eccleſiæ. *Deus, qui Filium tuum* J E S U M *Chriſtum Dominum noſtrum pro ſalute noſtra in hunc mundum miſiſti, ut ſe humiliaret ad nos, & nos revocaret ad te : præſta quæſumus, ut ejus veſtigia ſequi mereamur. Qui tecum vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*





C
F
E
D
B
G
A
H

CONSIDERATIO XII.

De Exemplo Sanctorum Chriſtum ſequentium, & nos ad ſequendum invitantium.

DEſpondere forſitan animum poteras, ſi *primus* & *ſolus* Chriſtum ſequi debuiſſes, tametſi reverentia, & amor erga Chriſtum id omnimodè mereretur. Dixiſſes fortaſſis, Chriſtus homo fuit, ſed homo ſuperior Angelis, *homo-Deus*. Peccator ego ſum, vel hoc ipſo fragilis, & infirmus: ut præſumptionis argumentum credam, ſi Chriſtum imitari velim. Sed quam modò excuſationem prætendes, cùm ante te Chriſtum ſecutos vides A Benedictos, Auguſtinos, Dominicos, Bernardos, Norbertos, Brunones, Ignatios, Catharinas Senenſes, Thereſias, turbam denique magnam, nunc in cœlis triumphantem, quam dinumerare nemo poteſt, ex omnibus gentibus, & populis utriuſque ſexûs; non Deos, non Angelos, ſed homines fragiles, & infirmos, quibus omnibus id unum cordi erat, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur, admittere verò, & concupiſcere quidquid Chriſtus Dominus noſter amavit, & amplexus eſt: eâdem veſte, & inſignibus propter Chriſtum indui, quibus Chriſtus propter nos indutus eſt: ſervire Deo in orationibus, & vigiliis multis, in jejuniis, & lacrymis, in paupertate, & caſtitate, in ſubmiſſione, & obedientia, in longanimitate, in ſuavitate, in charitate non ficta, &c. Lucent hi in Eccleſia Dei, velut ſtellæ in firmamento, & lucent *tibi*, ut in lumine eorum tu quoque ambules. Et verò invitant ipſi clamore de cœlo magno: *imitatores noſtri eſtote, ſicut & nos Chriſti.* Quid agis? Forſitan & iſtos ad te comparatos exiſtimas eſſe heroës, gigantes, & alterius naturæ homines, quos ipſos imitari non audeas? At conjice oculos B in innumeros alios tui ævi, tecum natos, tecum educatos, tibi familiares, & olim colludentes, qui & ipſi die, ac nocte non ceſſant laudare nomen Domini, ambulantque dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei: & illud tibi occine cum Auguſtino: *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ*, æquè in peccato nati, æquè tentationibus ſubjecti, æquè infirmæ naturæ, æquè nobiles, æquè juvenes, æquè teneri? *Sentio*, inquis, *aliam legem in membris meis contradicentem legi mentis meæ, velle mihi adjacet, perficere autem non invenio.* Senſerunt, ne dubita, & iſti, & iſtæ; Sed an iſti, & iſtæ *in ſe ipſis* potuerunt, & non in *Domino Deo ſuo*? Tu quoque confide; qui dat *velle*, dabit & *perficere*. Fidelis eſt Deus, qui non patietur te tentari ſupra id, quod potes: qui te prædeſtinavit conformem fieri imagini Filii ſui, & ad hoc vocare dignatus eſt, ipſe etiam juſtificabit, & ſanctificabit. *Senſum* domat *Fides*, & *naturam* terrenam vincit C irradians de cœlo *Gratia*. Hæc D Hieronymo horridam Syriæ ſolitudinem in paradiſum, ſpelæum in palatium, cruentos lapides in roſas convertit. Hæc E Franciſco in montibus Alverniæ quadragintadiale jejunium

nium condivit, & in Chriſti Crucifixi vulnerum ac dolorum communicatione jucundari, & gloriari fecit. Hæc F Simeonem Stylitam ad ſtuporem accurrentis mundi columnæ Ægyptiacæ per annos complures inſiſtentem in ſole, & pluvia, frigore, & æſtu continuit, ubi dormire, aut conſidere nunquam, cibum capere rarò, continuis verò Deum corporis inclinationibus uſque ad pedes adorare (numeraverat nonnemo die uno 2224. ſed tædio affectus receſſit) ea denique agere, & pati conſueverat, ut hominem dubitârint. Non eſt abbreviata manus Domini, nec bonitas ejus imminuta: ſocordiæ tuæ vitium eſt, quòd in carne ſecundùm carnem vivas, & ad cœleſtia animum erigere, atque eò contendere non audeas, quò tanta multitudo non ſuis viribus, ſed gratiâ Dei præceſſit. Excute jam nunc languentis naturæ torporem puſillanimis ſpiritus. G Surge, qui dormis, & illuminabit te quoque Chriſtus, ac confortabit gratiâ ſuâ. En, quærit ex te Angelus cuſtos tuus nomine totius, tum in cœlo triumphantis, tum in terra pro Deo adhuc militantis exercitûs: *Noſter es, an adverſariorum?* Reſponde; & vel fatere, quòd cum filiis tenebrarum vitæ tuæ licentiam, corruptæque naturæ commoda præhabeas divino obſequio, æternæque ſaluti tuæ: vel abjice opera tenebrarum, & ſectare juſtitiam, ac pietatem cum filiis lucis, & electis Dei. *Væ ſtertenti!* quoniam filius confuſionis erit. H Irruet ſuper eum repentina calamitas; & tribulatio, & anguſtia, & tradetur in prædam his, qui perſequuntur eum. Tunc invocabit, & non exaudietur. Et quia vias Sanctorum, & & calles juſtorum noluit cuſtodire, ſed ambulavit cum his, qui ad vocem Domini obdurârunt corda ſua, iiſdem annumerandus in die illa, die magna, & amara valde auditurus eſt: Ecce ſervi mei lætabuntur, vos autem clamabitis præ dolore cordis, & ululabitis: vocavi enim, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis; & quæ nolui, elegiſtis. *Iſa. 65.*

JACULATORIÆ.

Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.

Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Particeps ego ſim, Domine, omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Quærant alii, quæ ſua ſunt: mihi Deo adhærere bonum eſt, & quærere, quæ JESU Chriſti ſunt.

Oratio Eccleſiæ. *Deus, qui nos conſpicis ex noſtra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos miſericorditer per ſanctorum tuorum exempla reſtaura. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



13

CONSIDERATIO XIII.

De Eccleſiæ ſplendore ex vitæ noſtræ integritate.

HOmines ſumus, hoc eſt, *naturæ ſocialis*. Hinc tot in orbe cætus, & Societates, quot Imperia, Regna, Provinciæ, Reſpublicæ, Urbes, Oppida, Communitates; in quibus ſinguli velut unius corporis membra Mutuo ſeſe auxilio conſervant, & perficiunt. Præcipuus autem cætus ſemper fuit, & eſt, qui ab ipſo Deo, cum mundi creatione primò intentus, & inſtitutus fuit, & nunc A Catholica, & Apoſtolica *Eccleſia* dicitur. Eſtque eorum, qui veram veri *DEI* notitiam habentes, & profitentes ad ſupernam felicitatem per Fidem, Spem, Charitatem, & obſervationem mandatorum Dei ſub uno, eodémque capite tendunt. Caput porro hujus cætûs, ſeu Eccleſiæ ſupremum eſt B *CHRISTUS*, triplici ſupremâ poteſtate ad Eccleſiam gubernandam neceſſariâ, *Prophetali*, *Sacerdotali*, *&* *Regali* ſecundùm omnem excellentiam præfulgens: à quo deinde omnis poteſtas, gratia, & virtus in omnes deſcendit. Hujus in terris *Vicarius* eſt Romanus Pontifex, qui divinitus C Spiritu Sancto regitur, & ineffabili ejus providentia ita gubernatur, ut errare nequeat in omnibus, quæ *ut Pontifex*, ſive *de cathedra*, *& ex officio* decidit. Membra ſunt omnes *Fideles*, hinc quidem D Patriarchæ, & Primates, Epiſcopi, Prælati, Parochi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii, Religioſi: indè verò E Cæſares, Reges, Principes, aliíque ſæculares, ſummi, imi, omnis ordinis, & conditionis, qui ſecundùm miſericordiam Dei magnam regenerati ſunt in aqua, & Spiritu Sancto, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, paratam revelari in tempore noviſſimo. Suntque *ſemen*, *cui benedixit Dominus*, *Genus Electum*, *Regale ſacerdotium*, *Gens ſancta*, *populus acquiſitionis*. Ex quo agnoſce ô Chriſtiane, dignitatem tuam, dum de poteſtate tenebrarum te erutum, & in admirabile lumen, & Regnum translatum, myſtici corporis Chriſti membrum, & divinæ conſortem factum naturæ credis. Sed unà monentem audi S. Maximum, ut dum perſpicis, quantùm valeas, perpendas, quantùm debeas; ut tandem vilis tibi eſſe deſinas, & erubeſcendis ſubjacere vitiis deteſteris, ne tanto capiti; & corpori irroges injuriam. Nôſti, quòd Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut exhiberet ſibi *glorioſam non habentem maculam*, *aut rugam*: ſed ut ſit *ſancta*, & *immaculata*. At verò venuſtas, decor, & pulchritudo *totius* corporis ex *ſingulorum* membrorum venuſtate, decore, & pulchritudine conſurgit. Quantùm defœdaret venuſtiſſimam ſponſam putridus naſus, aut os immanè diſtortum, aut genæ, ſcatentes vermibus? Plus tu defœdas Eccleſiam, ſi tuæ dignitatis immemor in peccatis vivis. Quandoquidem ergo in ipſo in Eccleſiam ingreſſu, id eſt in Baptiſmo *Sathanæ & omnibus operibus ejus*, te renuntiare profeſſus es, renuntia non tantùm ſono linguæ,

ſed & actu vitæ: deprehenderis enim, & detegeris Chriſtiane, quando aliud agis, & aliud profiteris. *S Auguſtinus*. Aliam adhuc attende obligationem tuam, *propugnandi* nimirum pro viribus eandem Eccleſiam; membrum namque es modò Eccleſiæ *militantis*. Eſt equidem Eccleſia *Regnum, quod in æternùm non diſſipabitur: Civitas fundata in æternùm: Columna & Firmamentum veritatis*: eſt ædificata *ſupra petram, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, hoſtibus tamen eſt expoſita viſibilibus æquè, ac inviſibilibus; in medio conſiſtit nationis pravæ. Oppugnant eam F *Dæmones*, & Principes tenebrarum rabie, & furore occulto, G *Pagani*, tyrannide, & ſævitiâ apertâ, H *Hæretici* perfidiâ & fraudulentiâ, I Apoſtatæ maledictis & ſcandalis: & eò quidem ſucceſſu, K ut tandem *major*, eheu! mundi pars divulſa ab hac Eccleſia dæmonis poteſtati cedat. Oppugnatæ ſic undique Eccleſiæ ſuæ tametſi uſque ad conſummationem ſæculi L præſens adſit, eámque virtute ſuâ ex alto corroboret Chriſtus Dominus noſter, ac etiam M per Angelos ſuos mirabiliter propugnet, tuam tamen quoque in acie ſtationem, in prælio pugnam requirit: intereſt enim ad victoriam, & felicitatem *publicam* generoſa cujuſque etiam *gregarii* militis dimicatio. Modum dimicandi S. Chryſoſtomus te docet, ut primùm in te ipſo reſiſtas occultis machinis, quibus inviſibiles ſpiritualis nequitiæ exercitus te invadunt, ne ullam in te partem habeant: ea verò, quibus viſibiles adverſarii Domum Dei evertere contendunt, ſic repellas, ut falſa dogmata *ſanâ doctrinâ*, vitæ licentiam *morum* tuorum *integritate*; injurias, contumelias, perſecutiones, *magnanimi patientiâ* vincas. Si armis res agenda ſit, præliare prælia Domini. Dein aliis quoque commilitonibus tuis ſuppetias, quas potes, feres, verbo veritatis inſtruendo, converſationis exemplo dirigendo, orationum aſſiduitate robur, & vires impetrando.

JACULATORIÆ.

Cantemus Domino, qui congregavit nos de nationibus, ut confiteamur nomini Sancto ejus.

Laus ejus in Eccleſia Sanctorum: quia non fecit ſic omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Domine dilexi, & diligam decorem domûs tuæ: quia domum tuam decet ſanctitudo.

Benedic Domine domum iſtam ædificatam nomini Sancto tuo.

Domine, ut Eccleſiam tuam ſanctam regere, & conſervare & inimicos ejuſdem humiliare digneris, te rogamus, audi nos.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, cujus ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur, & regitur: exaudi nos pro univerſis ordinibus ſupplicantes: ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



14

De Beneficiis à Deo in eum finem nobis collatis, ut ipſi ſerviamus.

SI, quæ hactenus conſiderâſti, necdum ad Deo ſerviendum te movent, en aliud motivum, quo vel *barbari* homines, imò urſi, tigrides, & leopardi *feræ animantia* ad obſequia inducuntur: *beneficia* inquam, quibus tanquam funiculis charitatis ad amorem ſui, & obſequium ſuaviter te trahere ſatagit liberaliſſimus Deus. Noviſti utique, quòd ante annos paucos *nihil* fueris, & *nullibi*. Ecce elegit te Deus ex millibus, imò *infinitis* poſſibilibus, & A condidit in hunc mundum, ut theſauris bonitatis ſuæ te ditaret in tempore, & æternitate. Clauſo per peccatum Adæ cœlo, mortiſque latâ in te ſententiâ B incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, C ignominioſæque cruci affixus, ut mortem tuam ipſe moriendo deſtrueret, cœlúmque denuo tibi reſeraret. Cùm in peccatis conceptus, & natus eſſes, D per baptiſmi lavacrum te ſanctificavit. E Ut refugium haberes, & ſolatium in omni neceſſitate, & afflictione tua, admirabile, & ſalutiferum corporis & ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit. F Angelum quoque individuum comitem tutelarem, & protectorem adjunxit. Aliáque plura, quæ *fides* te docet, *gratiæ* dona contulit. Rurſus ea, quæ *naturæ* dona dicimus, & oculis videri, manibúſque palpari queunt, quot, & quanta ſunt? Aperi oculos, & univerſam hanc mundi machinam uno quaſi obtutu comprehende; ampliſſimum deprehendes palatium, tam multiplici ſupellectile, quàm ſunt creaturæ variæ, adornatum in *tua commoda*. G Singillatim deinde immenſa cœlorum corpora contemplare, & in his ſolem, lunam, planetas, cometas, aliáque ſidera, tibi lucentia, atque in hæc ſublunaria continuè influentia admirare. Ex aſtris per ſphæram ignis ad tres regiones aëris delabere, & iſthìc H denſatas nubes, pluvias, nives, rorem, pruinam, nebulas, halones, irides, ignes fatuos, & innumera alia phænomena ſpecta. Tum terram univerſam obambula. I & vini, frumenti, olei, aliorúmque terræ fructuum copiam, varietatem, delectabilitatem deguſta: montes, & valles, ſylvas, & ſaltus tranſcende, campos, agros, prata, hortos percurre; ipſa terræ viſcera, ac inibi auri, argentíque fodinas, & reliqua mineralia ſcrutare: maria enaviga, amplitudinem, profunditatem, abyſſum, fluxum, refluxum, egredientia indè, & eodem revertentia flumina, & fontes intuere. Volucres cœli, piſces maris, pecora campi, beſtias terræ, K homines ſimul, & jumenta; verbo, quæcunque ſub *viſum*, *auditum*, *odoratum*, *guſtum*, *tactum* cadunt obſerva: *omnia*, *omnia* tua eſſe munera comperies, L quibus Deus te paſcit, cùm eſuris; potat, cùm ſitis; operit, cùm nudus es; fovet, cùm friges; refrigerat, cùm cales; reficit, cùm deficis; ſanat, cùm ægrotas; ditat, cùm eges, &c. Nec obſtat, quòd mul-

ta ſint *communia* omnibus; nam hoc ipſum eſt divinæ bonitatis ingenium, ut omnium ſit unum beneficium, & unius ſint omnia beneficia; ut privata ſint communia, & communia privata. Si quæ fortè minùs grata naturæ accidunt, ut tonitrua, fulgura, fulmina, terræ motus, ruinæ, fames, peſtis, bella, paupertas, contemptus, &c. hæc ipſa à malo revocant, & viam ad cœlum ſternunt. Ipſos magnorum Regum, & Regnorum interitus permittit Deus, ut tu pauperculus ſanctam aliquam cogitationem inde concipias. Vide nunc, quid à te requirant, *tot*, *tanta*, *gratiæ*, *naturæ*, *communia*, *particularia*, *continua*, & nunquam interrupta *beneficia* collata in unum eum finem, ut M viæ virtutis inſiſtens quæras primùm *Regnum Dei*, *& juſtitiam ejus*, certus, quòd cætera omnia adjicientur tibi non minùs, quàm olim N populo Iſraëlitico in deſerto. Sed eſt adhuc in omnibus & ſingulis Dei beneficiis *præter ipſa*, quod expendas, æſtimes, venereris *ſupra ipſa*. Eſt O *Amor* divinus tui, qui omnipotentiæ ea omnia beneficia imperavit. *Amor* valor, & pretium eſt omnium munerum, ſiquidem hæc non tam ex ſua, quàm dilectionis magnitudine ponderantur. At magnitudinem dilectionis *Divinæ* quis explicet? Cogita amorem *Patris*, *Amici*, *Sponſi*, junge *Seraphinorum*, & omnium Angelorum: adde Virginis *Deiparæ* actus amoris intenſiſſimos: ſuperadde, quotquot actus amoris ſanctiſſima *Chriſti Humanitas* in hac vita elicuit: *ſcintilla* ſunt ad amoris *incendium*, quo te Deus creavit, creatum conſervat, ac fovet. Et reſtat adhuc *major* Deo tui amor, ut ſi opus eſſet, duplicaret beneficia; imò ſine numero multiplicaret, ſi ad ſalutem tuam non ſufficerent, quæ redundant modò. O homo, à *cane* amari gaudes; & quia pro te vigilat, & latrat, *canem* redamas, ac foves: *barbaro* Æthiopi, qui fortè ſitienti tibi frigidam porrexit, blandiri ſtudes. Et non gaudebis amari à *DEO*? Non ſervies ei? qui in *omnibus* ſervit tibi. Non coles? cujus *univerſa* opera ſunt *tua* beneficia, qui dedit *ſua*, dedit *ſe*, dedit ex *amore*, amore *infinito*.

JACULATORIÆ.

Benedic anima mea Domino, & noli oblíviſci omnes retributiones ejus.
Laudent illum cœli, & terra, & benedicant omnia opera Domini Domino.
Quia fecit mirabilia magna ſolus: & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum.
Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui Domine, omnibus diebus vitæ meæ
Tu enim ſolicitus es mei, & nihil mihi deerit.

Oratio Eccleſiæ. *Tuorum nos Domine, largitate donorum, & temporalibus attolle præſidiis, & renova ſempiternis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum.*
Amen.



15

De Deo Digniſſimo amari, & coli propter ſe.

PRæcipuus, & efficaciſſimus Deum amandi, eíque ſerviendi titulus eſt ipſe *DEUS*. Dic, ſi modò in terris viveret *ſapientiſſimus* Salomon, *fortiſſimus* Samſon, *formoſiſſimus* Abſolon, *fidiſſimus* Jonathas, *manſuetiſſimus* David, *amantiſſimus* populi Moyſes, an non gauderes illorum frui aſpectu? non admirareris, revereris, amares, & ſi quod poſſes, obſequii genus deferres? Non propter tuum commodum, non quòd illi te nôrint, amârint, benefecerint (pone enim hæc omnia abeſſe) ſed propter ſolas egregias dotes, & virtutes in ſe amabiles, quibus fuerunt conſpicui. Compone in *unum* hominem, quæ in his diſperſa ſunt, & adjice, quæcunque alia hominem, ac etiam Angelum condecorare poſſunt: quantùm (& meritò) uni iſti afficereris? At *quis ut DEUS*? A in quo unitiſſimè collectæ ſunt virtutes, & perfectiones omnium hominum, & Angelorum, longéque, imò *infinites* eminent omnia, quæcunque admirationem, amorem, cultum, ac reverentiam quomodolibet merentur. Si Chriſtianus es, ex fide didiciſti B *Unitatem in Trinitate*, & *Trinitatem in Unitate* venerandam eſſe. Eſt enim Deus *Pater*, Deus *Filius*, Deus *Spiritus Sanctus*, & tamen non tres Dii, ſed *unus Deus*. *Tres* ſunt, & *Unum* ſunt: Tres in *perſonis*, Unum in *natura*. O Altitudo! O Abyſſus! Hic idem mirè *Unus*, & *Trinus* Deus Rex C eſt Regum, & Dominus Dominantium, quia ipſe deponit potentes de ſede, & de ſtercore elevat pauperem, ut collocet eum cum Principibus. D Fons eſt, & prima cauſa rerum omnium, quia non eſt alius ante ipſum. E Vindex malorum, quia odit iniquitatem, & juſtitia ejus in ſæculum ſæculi. F Principio, & fine carens, quia à ſæculo uſque in ſæculum anni ejus non deficient. G Omnia implens, & ubique præſens, quia immenſus, & cœli cœlorum non capiunt illum. H Decernens, & faciens, quæcunque voluit in cœlo, & in terra, quia omnipotens, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati ejus. I Solus plenum cordis humani gaudium, & ſatietas, quia ſolus *ſummum*, *totum*, & *omne bonum*. K Cuncta providens, & attingens à fine uſque ad finem, quia Sapientiſſimus. L Dives, & liberalis in omnes, quia nullius eget, & omnium miſeretur, & natura ejus Bonitas. *Eſt*, *qui eſt*, Ens entium, quo nil majùs cogitari, nil meliùs fingi poteſt: à quo ſunt omnia, ad quem ſunt omnia; quem millia millium, qui miniſtrant ei; & decies centena millia, qui aſſiſtunt ei, laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates; cœli cœlorúmque virtutes, ac Beata Seraphim, & univerſa cœleſtis exercitûs cohors ſociâ exultatione concelebrant: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum*. Quid cenſes nunc? An amandus, & colendus tibi videtur *DEUS* iſte? Certè ſi, ut priori conſideratione cognoviſti, plus amare Deum debes *ob amorem*, quo in te fertur, quàm ob *beneficia*, quibus

te

te undique circumdat, eò quòd hæc ſint *effectus* amoris, & ſcintillæ magni illíus incendii divinæ charitatis; multò adhuc magìs Deum amare debes ob *Bonitatem* ſuam; ſiquidem hæc ipſius *amoris* cauſa eſt. Imò licet Deus te nec *feciſſet*, nec *benefeciſſet*, nec *amâſſet*, amandus tamen eſſet ſupra omnes conditores, benefactores, amatores tuos. Addo, etiamſi *odiſſet* te, & *malefeciſſet* tibi: Nam ſi inter homines *beneficia* extinguunt omne odium, & malefacta, conciliántque amorem; multò magìs incomprehenſibilis Dei *Bonitas* (quæ potior eſt omnibus beneficiis) omnem malevolentiam eradere debet. Debes ergo nunc vel maximè amare Deum, & colere; & quia *factor* tuus eſt; & quia *tolerator*, & *conſervator*, & quia *benefactor*, & quia *amator*, & tandem ac præcipuè, quia infinitè *Bonus* eſt *in ſe*. Illud obſerva, ne fallaris amando, veróque amori fucum ſubſtituas, verus amor non conſiſtit in *verbis*, ſed in *ſuma cordis* cum amato conjunctione, vi cujus amans *velit* amato bonum, ac etiam re ipsâ pro viribus *procuret*; eſt enim amor *operativus*, ita, ut ubi non operatur, amor non ſit. Tu itaque primò conjungere M Deo corde toto per frequentes actus N Fidei, Spei, & Charitatis. Velis deinde Deo omne bonum: *intrinſecum* (perfectiones ſupra conſideratas) gratulando, & gaudendo de illo: *extrinſecum* (cognitionem, æſtimationem, amorem, laudem & cultum à creaturis) omni conatu procurando, priùs quidem *in te ipſo*, qui in tua poteſtate es, & imperare tibi potes, adeoque ſi honor Dei verè tibi cordi eſt, id ſaltem ibi, ubi potes, hoc eſt, *in te* conteſtari debes: deinde etiam O in aliis, dehortando quoſcunque potes à malo, & inducendo ad bonum. Atque ita animam tuam, & proximi tui ſubduces fœdis P dæmonis obſequiis, ad quæ Q vitium ſolicitat, Deóque R dilectam Sponſam ſiſtes glorificaturam Deum, pariterque à Deo glorificandam in perpetuas æternitates perfectâ ejuſdem *viſione*, *amore*, *fruitione*, *& laude*.

JACULATORIÆ.

Lauda anima mea Dominum, & benedic nomini ſancto ejus.
Quantùm potes, tantùm aude; quia major omni laude, nec laudare ſufficis.
Laudate Dominum de cœlis, laudate Dominum de terra: afferte Domino gloriam, & honorem, afferte gloriam nomini ſancto ejus.
Dignus enim eſt Dominus Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & benedictionem, & virtutem.
Quoniam quis ſimilis ei? Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia, excelſus ſuper omnes cœlos, glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Oratio Eccleſiæ. *Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæſumus corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore, ut digna, ac placita Majeſtati tuæ cogitare ſemper, & te ſincerè diligere valeamus. Per Dominum noſtrum* J E S U M *Chriſtum Filium tuum. Amen.*



16

De Imbecillitate hominis, & efficacia gratiæ divinæ ad finem creationis aſſequendum.

Finis ultimus A creationis tuæ, *ſalus*, & *beatitudo* æterna tam eſt ſublimis, ut quantumcunque omnes, etiam totius naturæ vires intendas, ad eum tamen pertingere nullo conatu queas. B Via quoque ad eundem, *via virtutis*, tam eſt præceps, & ardua, ut in ea pedem figere, vel movere *ex te*, & ſine *gratia* ſpeciali Dei nequaquam poſſis. Ita S. Paulus. *Nemo poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto*. 1. Corinth. 12. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid* (ad ſalutem pertinens) *à nobis quaſi ex nobis*, ſive viribus noſtris, 1. Corinth. 3. *gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt*. Epheſ. 2. Et Chriſtus ipſe: *Sine me nihil poteſtis facere*. Joan. 6. Hanc imbecillitatem, imò omnimodam *impotentiam* tuam C deſignat infans, qui viribus omnibus deſtitutus nec bona ſibi providere, nec inſtantia mala à ſe avertere ullatenus poteſt. Impotentiæ iſti accedunt inſuper poſitiva *impedimenta*, quæ te à proſecutione finis tui plurimùm retardant. Nam etiam poſtquam D Chriſti vitam ſæpius meditatus es, & Deo ſervire feriò decreviſti, retinet te adhuc E mundus, & concupiſcentiæ ejus, quibus tanquam ferreis catenis nimiùm quantùm illigatus es. F Retrahunt item vitioſi habitus, & conſuetudines ex educatione, ex conſortio cum improbis, & ipſo vitæ uſu contractæ. G Ipſum denique pondus corruptæ naturæ, & corpus, quod geſtas, inſtar compedum aggravat animum, & ad ima deprimit. Ut verè dicere poſſis, circumdatus ſum infirmitate, infixus ſum in limo profundi, miſer & miſerabilis, egenus, & pauper ego ſum. Sed confide, quàm *ex te* es pauper, infirmus, & miſer, tam es dives, fortis, & potens H ex *gratia* divina per Chriſtum. Ipſe enim eſt *fortitudo* tua, *virtus* tua, *firmamentum* tuum: ipſe evellit de laqueo pedes tuos, & dirumpit omnia vincula tua, & deducit te ſuper ſemitas juſtitiæ: ipſe te adjuvat, ut quemadmodum ex te *nihil*, ſic in eo poſſis *omnia*. I Sic David *puer* proſtravit *Gigantem* exercitibus formidandum, Goliathum, non in gladio, & armatura fortium, ſed *in nomine Domini*. K Sic Petrus fluctus calcavit, & mari, velut continenti, inambulavit *Chriſti imperio*. L Sic piſcatores, qui per totam noctem (tempus alioquin piſcatui opportuniſſimum) laborârunt, & ceperunt nihil, ubi rete laxârunt in *verbo Chriſti*, tantam concluſerunt piſcium multitudinem, ut duæ naves implerentur, & penè mergerentur, ſociiq; in auxilium vocandi eſſent. Et nonne illi ipſi piſcatores *vocante & confortante* JESU artem ſuam illico deſeruerunt, in qua omnes illorum opes & vita continebatur? quo, quid difficiliùs eſſe poterat? quid verò ſtupendum magìs, quàm quòd iidem homines *illiterati*, & *rudes*, *Regibus*, & *Populis* novam religionem perſuaderent, quâ crederetur is *DEUS* eſſe, qui paùlò antè cum *latronibus* fuerat

in

in crucem actus ? Id tamen effectum eſt *Chriſti potentiâ.* Nimirum ex nobis *nihil*, ex Deo *omnia.* Maximi ponderis eſt hæc fidei veritas, geminam detegens altiſſimæ profunditatis abyſſum, *Nihil* & *Omnia.* Ex qua utraque virtutes emergunt, quas Chriſtianæ perfectionis cardines meritò dixeris, *Diffidentia ſui*, & *Humilitas* profundiſſima; *Fiducia in Deo*, & *Magnanimitas* excelſiſſima. Illæ te ad *infima* demittunt, iſtæ ad *ſumma* extollunt: illæ nihil non ſanctè *timere* faciunt, iſtæ omnia ſanctè *audere.* *Nihil*: quid minùs ? *Omnia*: quid majùs? *Nihil*: quid profundiùs? *Omnia*: quid excelſiùs ? Peccat multorum fiducia, dum *magna* molientes in Deo ſperant, quaſi in *parvis* nonnihil poſſint ipſi. Sed & deficit multorum fiducia, dum *moderata* à Deo ſperant, & *majora* ſperare non audent, vel quia indignos ſe putant, vel minùs rectè de Deo, Chriſtique meritis cogitant. At tu, ſi *ex te nihil* potes, & hoc cognoſcis, prout oportet, non præſumes ex te opus bonum etiam minimum, quamvis illuſtratus eſſes, ut Cherubim, & haberes merita S. Joannis Baptiſtæ. Non tamen idcirco animum deſpondebis; nam ſi ex adversò *in Deo* potes *omnia*, confides in magnitudine brachii ejus, quamvis patrâſſes ſcelera Antichriſti; & audebis ſemper excelſa quæque, ſecurus, quòd *in virtute* ejus, qui facit mirabilia magna ſolus, tam facilè adæquabis illuſtria Sanctorum merita, quàm frigidam ſitienti porriges, & quòd æquè ſuſtinebis igneam craticulam S. Laurentii, ac levem contumeliam. Si rurſus *ex te nihil, ex Deo omnia*; nunquam vanè extollêris, tametſi mundum totum ſolus converteres, memor verborum Chriſti: *non vos eſtis, qui loquimini*, & operamini, *ſed Spiritus Patris veſtri.* Sed neque aſpernaberis quemquam, ſciens, quòd qui ſtas hodie, *gratiâ Dei* ſtes, & cras juſto Dei judicio tibi relictus cadere poſſis infra omnes peccatores, reſurrecturis per gratiam Dei illis, qui modò jacent. Cecidere *ſanctiſſimi* Davides, *ſapientiſſimi* Salomones.

JACULATORIÆ.

Vide Domine humilitatem (imbecillitatem) meam, & in auxilium meum reſpice.

Ex me perditio mea; & tantummodo in te auxilium meum.

Tu es refugium pauperi, & operi manuum tuarum porriges dexteram.

Confortabor in Domino, & in potentia virtutis ejus.

In Deo meo eripiar à tentatione: in Deo meo faciam virtutem, in Deo meo transgrediar murum.

Quia Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos.

Dextera Domini faciet virtutem, dextera Domini exaltabit me.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos, dexteram tuæ majeſtatis extende. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


Z
Z
A
E
H
I
K
G
L
M
N
F
S
T
V
W
X
Y
P
P
B
C
D
Q

CONSIDERATIO XVII.
De Oratione.

Conſiderâſti, quàm *nihil* poſſit homo conducens ad ſalutem æternam ſinè *Gratia Dei*, & quàm *omnia* poſſit cum eadem gratia. Inde nunc excellentiam, ſimul & neceſſitatem *orationis* deſume. Nam tametſi verum ſit plurimas è cœlo nobis concedi gratias non petitas, veriſſimum tamen etiam eſt, plures alias non concedi, niſi petantur: & quidem ex doctrina S. Auguſtini non tantùm *efficaces*, ſed & *ſufficientes*; ut proinde ſinè oratione non tantùm non *ſis operaturus* bene, ſed nec *poſſis* operari bene. Ex quo tamen non inferas Deum *impoſſibilia* jubere: nam *jubendo*, inquit idem S. Doctor, *vel dat Deus ut poſſis, vel ut ores, ut poſſis. Quid* autem ſit orare, *quomodo*, & *pro quibus* orandum ſit, adverte. Præcipuos orantis actus enumerat Doctor Angelicus ſequentes: A *Laudare Deum*, & univerſa opera ejus, quoniam bonus, & laudabilis nimis, & omnia in ſapientia fecit, omnia bene fecit. B *Agere gratias* eidem pro collatis in nos beneficiis, imprimis verò pro Unigenito Filio ſuo nobis dato, & donato, per cujus paſſionem, & merita habemus cætera omnia. C *Deprecari mala* à nobis commiſſa quoad culpam, & pœnam. Et D *Bona petere*. Bona petenda alia ad vitam corporalem, & temporalem, alia ad ſpiritualem, & æternam conducunt. Poſterioris generis ſunt *virtutes* omnes, præſertim verò Theologicæ, atque etiam eæ, quæ ſeptem vitiis *capitalibus* opponuntur: ex his enim virtutes reliquæ non minùs, quàm ex vitiis capitalibus reliqua vitia originem trahunt. Sunt igitur E *Fides*, F *Spes*, G *Charitas* erga Deum, & proximum, H *Humilitas*, I *Liberalitas*, K *Caſtitas*, L *Sobrietas*, M *Manſuetudo*, & N *Diligentia*: quas quia Deus à nobis exigit, omnes abſolutè, & laudabiliter à Deo poſtulantur. Prioris generis ſunt *ſanitas*, *vita longa*, *opes*, *honores*, aliáque *indifferentia*, quæ & ipſa peti queunt, ſed ad finem *bonum*. Perfectius tamen fuerit, ſi in his omnibus tu te hominem privatum providentiæ Divinæ integerrimè committas, & id ſolùm poſtules, ut Dei voluntas fiat: tum quia ſæpe ſunt occaſio æternæ damnationis; tum quia in his facilè te ipſum potiùs, quàm Deum quæris; tum quia ſic omni cupiditate, & anxietate liber inſignem animi tranquillitatem, & eventibus omnibus ſupparem celſitudinem adipiſceris, quæ plurimum confert ad perfectionem. *Modus orandi* Deum ſaltem deterior eſſe non debet, quàm orandi hominem. Vide, O quomodo miſeri, & afflicti homines hominem orent, quàm *reverenter*, & *humiliter*. Et verò ſic volunt rogari homines ad benefaciendum. Magìs in Deum præſtare id debes, cujus Majeſtas infinita profundiſſimam orantis *ſubmiſſionem*, & *reverentiam* expoſcit. Orandum deinde eſt *ferventer*: remiſsè enim Deum orare, eſt velut puerum crepundiis velle delinire. Quid verò ſit ferventer orare, diſce ab illo, qui

P mox

P mox moriturus eſt, aut in ſupremo vitæ diſcrimine verſatur. Oportet demum orare *efficaciter*, quantùm eſt ex parte tua, ita ſcilicet, Q ut virtutum, quas à Deo petis, occaſionem ſedulus obſerves, & apprehendas: alioquin petere humilitatem, caſtitatem, &c. & nolle aliis poſtponi, nolle ſenſus cuſtodire, &c. eſt manibus rejicere, quod linguâ petitur. Exigit autem charitas, ut oratio tua ad Deum pro aliis quoque, & quidem pro *omnibus* hominibus ſeſe extendat, hoc enim acceptum eſt coram Deo, *qui omnes homines vult ſalvos fieri.* Orabis itaque R pro univerſa Eccleſia Catholica, ut eam Deus toto orbe terrarum conſervare, & propagare dignetur. S Pro Principibus, Superioribus, & Parentibus, ut aſſiſtricem Sapientiam, & Spiritum gratiæ ſalutaris eis largiatur. T Orabis cum Davide pro ſubditis, & tibi commiſſis, ut perpetuum eis rorem ſuæ benedictionis infundat. V Pro benefactoribus, ut illis ſempiterna bona retribuat. W Pro inimicis, & malefactoribus, ut illis ignoſcat, quia neſciunt, quid faciunt. X Pro infidelibus, & peccatoribus, ut eos lumine ſuæ claritatis illuſtret, & miſeratione ſuæ pietatis clementer abſolvat. Y Pro animabus purgantibus fidelium defunctorum, ut ipſis locum refrigerii, lucis, & pacis indulgeat. Verbo, ut univerſi, quos vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur, & æternâ beatitudine perfruantur. Quod ut faciliùs impetres. Z Invocabis magnam Dei Matrem & omnes Sanctos; ſunt enim amici Dei, gratiâ pollentes, noſtrique apud ipſum patroni, & interceſſores, quibus noſtra omnium ſalus majori curæ eſt, quàm nobis ipſis. AA Si ſurdum ad preces tuas cœlum experiris, & miſeriarum tuarum levamen non illico ſentis, crede, quòd vel *noxia* petas, vel bona *non debitè* petas: alioquin enim unum de duobus teſte S. Bernardo indubitanter eveniet, ***aut dabit Deus, quod petis, aut quod utilius eſt.***

JACULATORIÆ.

Effundam in conſpectu Dei orationem meam, cantabo, & pſalmum dicam Domino.

In te reſpiciunt oculi noſtri Domine, Adjutor in opportunitatibus.

Laudamus te: benedicimus te: adoramus te: glorificamus te: gratias agimus tibi.

Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus.

In te jactamus cogitatum noſtrum: tu enutries nos, & cuſtodies nos, & ſalvos nos facies.

Oratio Eccleſiæ. *Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium: & ut petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita poſtulare. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*





18

De recta Intentione.

QUidquid agunt homines, intentio judicat omnes. Oppida, urbes, provincias, mundum univerſum peragra, & hominum ſtudia, ac labores obſerva: ubique reperies, A qui ſcientiis, & rebus literariis invigilent: B qui artes, & opificia exerceant: C qui agros, & vineas colant: D qui orationibus frequentibus, aliiſque pietatis exercitiis inſiſtant: E qui militiam ſectentur, &c. paria denique ubique hominum ſtudia, pares ubique labores deprehendes. Et tamen his ipſis, & iiſdem omnino impenſis pars cœlum nundinatur, pars ignes infernales ſibi ſuccendit. Nimirum non *quid*, aut *quantùm* agas, ſed *quo affectu*, ſed quâ *intentione* agas, hoc ſpectat Deus; ab hoc aut præmium pendet, aut ſupplicium. Si *bona* eſt agentis intentio, non ſolùm opera naturâ ſuâ bona, ſed adiaphora quoque, ſeu indifferentia, ac naturalia F ab Angelis Deo præſentantur, qui ea G coronat in miſericordia, & miſerationibus Si *mala* eſt operantis intentio, etiam opera in ſe bona, quæ agis, fomenta ſunt H ignis tartarei, quibus æternùm cruciaberis. Ipſa, quæ magna in ſe eſt, & rara virtus *Virginitas*, niſi cœleſtia ſpectet, cœlo excluditur: ecce enim Matt. 25. Redemptoris voce decem *Virgines*, & tamen intra beatitudinis januam non omnes ſunt receptæ. Intentio *mala* eſt, cùm quid agis, ut I opibus abundes, K voluptatibus fruaris, L honores obtineas, M famâ excellas, *ſiſtendo* in ipſis, & non ulteriùs ad Dei honorem promovendum ea ordinando. Id enim eſt diligere vanitatem, & quærere mendacium, ac dæmoni litare, qui hoc thure colitur: à quo tamen præter evaneſcens ad inſtar N fumi ſolatium recipies nihil: Imò O ridebit te, & ſubſannabit; cùm inter illos adnumeraberis, qui ſeminârunt multùm, & intulerunt parùm; comederunt, & non ſunt ſatiati, mercedes congregaverunt, & miſerunt eas in ſacculum pertuſum; & tametſi viri *divitiarum*, & multorum meritorum ſibi viderentur, *nihil* invenerunt in manibus ſuis. *Bona* intentio eſt, cùm quid agis (vel omittis) *metu divinæ vindictæ*, ut ille qui dicebat: *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti*, vel *ſpe præmii* cœleſtis, ut alter: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*. Prior tamen intentio ſervile quid ſapit; poſterior mercenarium: & utraque multum abeſt ab ea puritate, ad quam tibi enitendum eſt, dum utraque ipſum operantem, ejúſque bonum magìs ſpectat, quàm Deum, ac hujus gloriam. Juvat nihilominus illis animum ſtimulare, donec is ad omnimodam puritatem pertingat. *Puritas* porro intentionis in eo ſita eſt, ut aliud operatione tuâ non quæras, quàm ut Deum digniſſimum laudari, & honorari, laudes & honores, ſanctiſſimíque ſanctiſſimum beneplacitum adimpleas. In hoc *uno* motivo, virtutum *omnium* motiva ſociantur, ac ſe ipſis altiùs extolluntur. Qui enim

vult

vult Deum honorare, ejúſque beneplacitum adimplere, vult *eſſe pius*, *juſtus*, *miſericors*, *modeſtus*, *temperans*, *caſtus*, *obediens*, *patiens*, *humilis*, *fortis*, *&c* & qui hæc vult, quia Deo ter Optimo Maximo placent, excelſiſſimè omnino operatur. Et hæc eſt vera Mydæ virgula, quæ omnia, quæcunque tangit, in aurum convertit. Tu ergo (monet Apoſtolus) *ſive manducas*, *ſive bibis*, *ſive aliud quid facis*, *omnia in gloriam Dei facito*, & unum ejus beneplacitum quærito. Hæc una tuorum ſit meta deſideriorum, tuorum ſcopus affectuum. Cavebis autem ſingulariter duo. *Primum*, ne, cùm quid agis tibi *delectabile* & *honorificum*, quin etiam cùm carnem maceras, téque ipſe abjicis ex *propriæ* voluntatis imperio, labiis tunc quidem Deum honores, & verbis gloriam ac beneplacitum ejus prætendas, cor tamen tuum longè ſit ab eo, dum honore & commodo *tuo* moveris, & voluntati *propriæ* inordinatè inhæres. Vigilat namque in nobis ſemper *amor proprius* intentus in ſua, etiam ſub ſpecie ſanctioris zeli. Sic jam recepiſſes mercedem tuam, & cum nonnullis *Iſa. 58.* ingemiſceres aliquando: *jejunavimus*, *& non aſpexiſti*; *humiliavimus animas noſtras*, *& neſcîſti*, unáque audires cum iisdem: *ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Signum, quòd *Deum*, & *divina*, non *te*, & *tua* quæras, etiam in delectabilibus, & ſpecioſis, illud habe; ſi æquè paratum te ſemper invenias ad *oppoſitum*, ita ut cum viatoribus æquè viam *ſpinoſam*, ac *floridam*; cum tribus Magis æquè jumentorum *ſtabulum*, ac Herodis *Aulam* ſubire non detrectes, ſi Deus ibi ſit requirendus. *Alterum* deinde cavebis, ne, quando ex felici ſucceſſu actionum tuarum vana complacentia (*meritorum tinea*) ſe ingerit, abripi te ſinas; ſed mox Divinæ gloriæ ſubſternas, quidquid humanæ laudis ex rectè factis tibi accreſcere poſſet: & ſicut nihil habes, quod non *accepiſti*, ita nihil ſit, quod non reddas ei, à *quo* accepiſti, *DEO*; dicáſque: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: *Soli Deo* honor, & gloria, nobis autem confuſio faciei noſtræ.

JACULATORIÆ.

Quid habet homo de univerſo labore ſuo ſub ſole, niſi benedicens benedicat Dominum.

Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.

Ad te, Domine, reſpiciant oculi mei ſemper, qui habitas in cœlis.

Da, quod jubes, qui jubes, ne juſtitiam noſtram faciamus coram hominibus, ut videamur ab eis.

Det nobis Dominus cor omnibus, ut colamus eum: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed ut ſervi Chriſti facientes voluntatem Dei.

Oratio Eccleſiæ. *Da quæſumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum purâ mente ſectari. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


I
K
L
F
E
D
B
C
B
H
G
A

CONSIDERATIO XIX.
De Patientia in adverſis.

COnverte te ſupra, (inquit veriſſimè Thomas Kempenſis,) converte te infra, converte te extra, converte te intra, ubique *crucem* invenies. Diſpone omnia ſecundùm tuum velle, nuſquam tamen afflictiones deerunt corporis, vel animi. *Patiendum eſt.* Hâc lege ſtringimur omnes. Portant crucem non ij ſolùm, A quos miſeros cenſemus, ſed & B omnis conditionis, ac ſexûs homines; Reges, & Cæſares, Præſules, & Pontifices. Ipſi, quod mirere, intimi *amici Dei*, imò *quia amici Dei*, adverſis exercentur. C Sic Tobias, quia *acceptus erat Deo*, cæcitate probandus erat. D Sic Job vir *rectus*, *ac timens Deum*, ereptis fortunis, peremptis prolibus, percuſſus ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem teſtâ radebat ſaniem ſedens in ſterquilinio. E Sic Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti ludibria, & verbera, vincula, & carceres experti ſunt, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt F Sic denique ipſe *Unigenitus Dei Filius* paſſus, crucifixus, & mortuus eſt. Si ergo *pati* neceſſe eſt, quære *patientiam*, quæ eſt virtus, quâ omnia hujus vitæ mala æquo animo ſufferuntur. Patientiam obtinebis *volendo* pati. Nam afflictio, & dolor tuus non tam eſt ex eo, quòd *patiaris*, quàm quòd *nolis* pati. Quamvis enim ex ipſo malo, quod te premit, obnixus & rebellio voluntatis oriatur, ille tamen obnixus & rebellio dolorem internum ſic exaggerat, & auget, ut omnis dolor in hoc obnixu conſiſtere videatur. *Voluntas* ergo inducenda eſt, ut adverſa amplectatur; & jam nullus, aut exiguus exiſtet dolor: prout quotidie experiris, dum nullam aut exiguam ſentis afflictionem in iis pœnis, quas ſponte ſuſceperis. Sed quid *honeſtatis*, inquies, eſt in eo, quòd mihi *malè* ſit, ut id *velle* debeam? Quæ in patiendo *amabilitas*? Tam verum eſt, *bonum eſſe pati*, quàm verum eſt *Deum eſſe unum*, *&* *trinum*: nam utrumque Chriſtus revelavit. Si iſtud credis, credendum eſt & alterum, tametſi *ſenſus* repugnet. Non dixit *JESUS* verbum *otioſum*; quomodo *beatitudines* dixiſſet paupertatem, luctum, perſecutiones, ſi hæc eſſent *mala*? Et niſi *bonum* eſſet pati, otioſa fuiſſet tota Chriſti *patientis* vita; qui certè non ideo patiebatur, ut ærumnas noſtras tolleret, (quod poterat,) ſed ut exemplo ſuo ad patiendum nos induceret. Ne tu igitur putes eſſe *mala*, quæ de fide conſtat eſſe *bona*; & facere *beatos*, Chriſtúſque ſibi elegit, & nobis. Pauca accipe, quæ gratum fructum ſub duro cortice aperiant. Adverſis purgatur homo à peccatis, ſæpe occultis, & alienis; quatenus ad ſui cognitionem, ſuorumque actorum deteſtationem reducitur: ſatisfit Divinæ Juſtitiæ, ut offenſam ponat, & pœnas remittat: præmunitur animus, ne deinceps tentationi ſuccumbat: imminuitur præſentis vitæ amor, augetur futuræ deſiderium, præbetur merendi materia: ut D Bonaventurâ teſte *majoris* meriti ſit adverſa *patienter tolerare*, quàm (adverte obſecro,) *bonis*

operibus inſudare. Docemur præterea alienis malis compati: efformamur patientiæ, & fortitudinis exemplum proximis: admonemur gratitudinis erga Deum in proſperis, &c. Denique *patiendo* ſanctiſſimum Dei beneplacitum adimplemus, ſervíque redempti Domino, & Redemptori noſtro *ſimiles* efficimur. Quid meliùs, honorificentiùs, optabiliùs? G Hoc ſi detrectes, crucem tamen non effugies: graviorem feres à dæmone imponendam, gemeſque vacuus merito ſub immani pondere. Præſtat, ut integrè te ſubmittas Deo, qui cùm *ſapientiſſimus*, & *omniſcius* ſit, ſolus novit H exitus viarum omnium, quidve ad ſalutem tuam congruat, penitiſſimè perſpicit: cùm deinde tui ſit *amantiſſimus*, I appendit ab omni retrò æternitate crucem, ut viribus tuis commenſuraret; nunc verò eam ad te per Angelum ſuum mittit eâdem prorſus charitate, eodémque fine, quo (attende) pro te *incarnatus eſt*, & *mortuus*. Lubens ergo, & hilaris eam amplectere, certus, quòd quidquid pateris, minùs ſit, quàm peccata tua mereantur; minùs, quàm paſſus ſit pro te Chriſtus; minùs, quàm patiantur hâc ipſâ horâ plurimi alii te meliores; & denique quòd *momentaneum* & *leve* tribulationis tuæ, K crux inquam unius horæ *æternum* L gloriæ pondus, & coronam immarſceſcibilem operetur. Adverſa porro, quæ accidere poſſunt, juvat prævidere, & ad tria revocare capita. 1. ſunt mala interna à *nobis* ipſis provenientia, ut apprehenſiones afflictivæ, timores, triſtitiæ, tœdia, &c. 2. Mala externa, quæ ab *hominibus* inferuntur, ut irriſiones, contumeliæ, injuriæ à ſuperioribus, æqualibus, inferioribus. 3. Sunt ea, quæ ſpecialiter ſolius *Dei providentiæ* & *Juſtitiæ* attribuuntur ex eo, quòd neque à nobis, neque ab hominibus procedant: ut defectus naturales, corporis, ingenii, indolis: obſcuri natales, & inopia aliorum bonorum, quæ fortunæ dicuntur: & denique caſus varii, quibus, quæ optamus, non aſſequimur, & quæ averſamur, ſubire cogimur. *Sta Deo* in omnibus.

JACULATORIÆ.

Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?

Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, hoc faciat.

Portabo iram Domini, quoniam peccavi ei.

Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum: fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam.

Hic ure, hic ſeca, modò in æternum parcas.

Calicem, quem dedit mihi Pater, bibam illum: patienter, quia deliqui: gaudenter, quia compaſſus conregnabo: amanter, quia ſic Domino placet.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


B
B
A
B
C
D
H
O
O
K
E
I
F
L
G
N
M

CONSIDERATIO XX.

De Præſentia Dei omnia videntis, & omnia gubernantis.

AMbula coram me, & eſto, ſive ut interpretes volunt, & *eris perfectus*. Sic ipſe olim ad Abraham locutus eſt Deus. En *Dei præſentiam* indubium remedium ad eximiam ſanctitatem. Memoria quippe Dei excludit cuncta flagitia, ait S. Hieronymus, efficítque ſtatum Deiformem, & præambulum vitæ æternæ, quæ in continua præſentis Dei Optimi Maximi viſione, amore, & laude conſiſtit. Et decet profectò, ut brevi ſpatio vitæ tuæ memineris Dei, qui ab æterno cogitavit te, & tua, meminítque tui adhuc ſemper, conteſtans id per Iſaiam verbis exceſſivo amore plenis: *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum? Et ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui.* Neque contentus fuit meminiſſe noſtri, ſed propinquus, præſens, & conjunctus eſſe voluit miris amoris modis, dum naturæ noſtræ ſe hypoſtaticè colligavit; dum in natura ſic aſſumpta pectus noſtrum toties ingreditur; dum ad Patrem aſcendens artificium invenit diviniſſimi Sacramenti, quo à nobis non recederet. Impudens, & ingratus eris, ſi non occurras ei, qui tanto te affectu ambit; & præſentem habere non velis, ſinè quo eſſe non potes. Præſentia porro Dei per actus intellectûs, & voluntatis obtinetur: ſi videlicet Deum A Eſſentiâ, Potentiâ, & Immenſitate ſuâ cœlum, & terram implentem tibi ſiſtas per actum vivæ fidei, ſuíſque oculis B ſole clarioribus omnia, etiam ſecreta cordium intuentem cognoſcas. Si deinde ſic cognitum admireris, adores, reverearis, ames, benedicas, invoces, aliíſque piis affectibus amplectaris, & ſtringas. Cùm autem Deus, ut præſens, diverſimodè cognoſci poſſit, conſilium Sanctorum eſt, ut conſideretur ſæpe ſæpius 1. ut *principium* A *primum*, à quo omnia. Sic eum cultu latriæ adorabis, & honorabis, téque quoad omne tuum *eſſe*, *poſſe*, & *operari* neceſſariò ab illo dependentem, illique pleniſſimè ſubjectum in vita, & morte profiteberis. 2. Ut *Adjutor*, & *Protector* in tentationibus noſtris, C qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciet cum tentatione proventum. Hinc ſperabis in eo, viriliter ages, & confortabitur cor tuum. 3. Ut *Pater providentiſſimus*, D qui, ut olim per Habacuc ab Angelo deportatum Danieli in leonum lacu cibum miſit, ſic & tibi non deerit, ſciens, quia his indiges. Hinc filialem fiduciam concipies, & quæres primùm Regnum Dei, & Juſtitiam ejus; atque in craſtinum, quid manducaturus, aut quo veſtiendus ſis, non nimis ſolicitus eris. 4. Ut *Vindex* E *malorum* omnium. Hinc culpas omnes commiſſas deteſtaberis, & ne denuo committas, cavebis. 5. Ut F *Remunerator bonorum*. Hinc fervebis ad pia opera, nihílque arduum nimis, & difficile pro regno Dei reputabis. 6. Ut *Finis ultimus* tuus, & rerum omnium G Hinc cordis tui cogitationes, & affectus, dicta, & facta ad

illum

illum unum diriges, illique ſoli ſemper ſervies. Proſunt hæ conſiderationes tum aliàs, tum ſpecialiter H inter epulas, & I ludos : & quando ſoli K cum ſolis agimus : in his enim facilè naturæ genio abripimur, & pravis paſſionibus plùs æquo indulgemus. Tandem quia non rarò res extra nos, noſtrámque libertatem poſitas mente voluimus, indéque inordinatis affectibus ſuſque deque agitamur, conſiderandus adhuc eſt Deus præſens, ut *Gubernans* ſapientiſſimè, ſanctiſſimè, juſtiſſimè univerſum iſtud, & omnia, quæ in eo ſunt. Ipſe enim eſt, qui operatur omnia in omnibus. L Ipſe poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam ſuam : ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Doctores, &c. M Reges quoque per ipſum regnant, & gladium portant ; & non eſt poteſtas niſi à Deo. N Sed & aliis quibuſvis dividit ſingulis, & dat unicuique prout vult. Ab ipſo bona, & mala ; vita, & mors ; paupertas, & honeſtas. Sinè ipſo nec paſſer cadit de tecto, nec capillus perit de capite. Peccatum ipſum, malum enormiſſimum, ipſe permittit, majora bona indè eliciturus. Hinc tu nemini invidebis, ſed congaudebis omnibus de donis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus à Deo maximâ varietate diſtributis, cum voto, ut bene impendantur, & proſint : patieris lubens per cauſas ſecundas te à Deo gubernari : onera, & defectus aliorum æquo animo ſupportabis : amara, & dulcia indifferenter de manu Dei ſuſcipies, nec conturbaberis inopinatis eventibus : denique integerrimè divinæ Providentiæ ſubſternes *te, tua, non tua, omnia* ; eos imitans, O qui turbulentum oceanum ingreſſuri peritiæ, & fidelitati nautæ ſe ſuáque penitus committunt. Neque ambige : novit Deus regere mundum meliùs, quàm nauta navim : ſecurus vives inter proſpera, & adverſa, cadéntque ſemper ad votum tuum res omnes, qui aliud non quæris, quàm quòd Deo ſic gubernanti placet.

JACULATORIÆ.

Propè es tu Domine, & omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Cœlum, & terram tu imples Domine : in te vivimus, movemur, & ſumus.

Ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Tu conſideras ſemitas meas, & cunctos greſſus meos dinumeras.

Providebo ergo Dominum in conſpectu meo ſemper : oculi mei ſemper ad Dominum.

In omni loco Dominationis ejus benedic anima mea Domino : quoniam ſanctus in omnibus operibus ſuis : omnia in ſapientia fecit, omnia bene fecit : diſpoſuit omnia ſuaviter ad laudem & gloriam nominis ſui.

Oratio Eccleſiæ. *Largire nobis quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius, & agendi, ut qui ſinè te eſſe non poſſumus, ſecundùm te vivere valeamus. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



21

De virtutibus Heroicis ad imitationem illuſtrium Sanctorum.

EA eſt noſtra hominum miſerorum conditio, ut in *via virtutis* ut plurimùm mediocritatem non ſuperemus; iis contenti, quæ quoquo modo ad ſalutem ſufficiunt. *Vox multorum eſt*, inquit Gerſon, *ſufficit mihi vita communis: ſi cum imis ſalvari potero, ſatis eſt: nolo merita Apoſtolorum, &c.* Verùm qui parcè ſeminant, parcè & metent. Et ſi illos quoque, qui ad ipſum præfixæ metæ *centrum* collimant, *totâ* nihilominus aberrare *metâ* ſæpe contingit, quid futurum cenſes his, quibus ipſa *extremitas* metæ eſt pro centro? Tu ſi animum geris vulgo excelſiorem, S. Hieronymum audi: *Noli mediocribus eſſe contentus: totum ſummum, totum perfectum deſidera.* Aude Deo confiſus, A qui dat de cœlo ſpiritum bonum petentibus ſe, & *dat omnibus affluenter*, aude, inquam, æmulari chariſmata *meliora*, & ad virtutes ipſas *heroicas* generosè aſſurgere. Et verò ea omnia, quæ *Deo ſerviendum eſſe* evincunt, evincunt etiam ſerviendum eſſe *ferventiſſimè*; non *ex parte*, ſed *ex integro.* Hoc vitæ præſentis (temporis merendi) brevitas, hoc futuræ æternitas; hoc obſequii divini dignitas, voluptas, & utilitas; hoc divina beneficia; hoc exemplum *JESU* Chriſti, & Sanctorum, hoc Dei Bonitas, & Majeſtas expoſcit, quæ cùm *immenſa* ſit, non decet, ut tu limites deſideria tua; & quamvis eum colere non poſſis, *quantùm meretur*, colere tamen debes, *quantùm potes.* Nomine *heroicarum* virtutum veniunt actus, qui præ aliis eò excellunt, quòd ſuperent difficultatem aliquam non *vulgarem*, *& communem* actui conjunctam. Qualis eſt, cùm aut *magnum bonum dimittendum eſt*, aut *ingens malum ſubeundum*, aut *affectio potens ſuperanda*, aut *gradus ſupremus intenſionis, vel extenſionis in virtute aliqua attingendus.* Exempla ejuſmodi actuum in illuſtribus Sanctis tibi exhibentur. B In S. Euſtachio generoſa *converſio* ab infidelitate ad fidem orthodoxam calcato omni humano, etiam Principum (Trajani Cæſaris) reſpectu. C In SS. Martyribus conſtans ejuſdem *fidei profeſſio* uſque ad ſanguinis profuſionem. D In S. Hieronymo auſtera *pœnitentia*, & continua carnis caſtigatio. E In S. Antonio *contemptus terrenorum*, & jugis cœleſtium contemplatio. F In S. Barbara perpetuæ *Virginitatis amor* nullis parentum illecebris, nullis minis à conſtantia dejectus. G In S. Paulo *annuntiatio Evangelii*, in tribulationibus, neceſſitatibus, anguſtiis, plagis, carceribus, ſeditionibus, vigiliis, jejuniis. H In S. Ignatio Loyola *zelus* non cujuſcunque, ſed *majoris* ſemper *Dei gloriæ ſalutiſque omnium*, quo ſic ardebat, ut diceret, ſi optio daretur, præelecturum ſe vivere incertum æternæ beatitudinis, & interim propagandæ Dei gloriæ, proximorúmque ſaluti invigilare; quàm ejuſdem beatitudinis certum ſtatim mori. I In S. Auguſtino flagrantiſſimus *amor Dei*, quo exæſtuans dixiſſe ali-

aliquando ſertur: ſi tu, Deus, eſſes Auguſtinus, & ego Auguſtinus eſſem Deus, fierem Auguſtinus, ut tu fieres Deus. K In S. Stephano *remiſſio injuriarum*, & dilectio inimicorum. L In S. Dominico, & innumeris aliis *abdicatio omnium divitiarum, voluptatum carnis & honorum*, per votum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ. In aliis Sanctis *fides, ſpes*, & *fiducia* uſque ad miracula: *temperantia* uſque ad omnis delectationis in cibo, & potu contemptum: *abſtinentia* perpetua à magis ſapidis, carne, lacticiniis, &c. *juſtitia* tribuens cuique ſuum uſque ad minima: *fortitudo* inconcuſſa in fortunarum, officii, famæ, vitæ jactura propter juſtitiam: *cura minimorum* ad divinum obſequium ſpectantium, in his ſiquidem ſumma perfectio conſiſtit., &c. Præ omnibus Sanctis coruſcat heroicis actionibus illa, M quæ una ſupergreſſa eſt omnium fidem Patriarcharum, ſpem Prophetarum, charitatem Apoſtolorum, fortitudinem Martyrum, puritatem Virginum, humilitatem Confeſſorum, contemplationem Anachoretarum, & omnium Sanctorum ſanctitatem Deipara *MARIA, in cujus vita tanquam ſpeculo refulget omnis forma virtutis*, éſtque idcirco in Eccleſia Dei *univerſale* exemplum poſt Chriſtum omnibus imitandum, S. Ambroſio teſte. Felicem te; N ſi quorum glorioſa merita colis, hodie exempla imitari incipias, expleturus in brevi tempora multa. Plus namque utilitatis, & meriti ſæpe adfert unus actus heroicus, quàm centeni communes; & melior eſt dies unus fervoris, quàm mille teporis. O Senties equidem à generoſis auſibus toto te impetu retrahens naturæ vitium: ſed tu contra audentior ito, & tabellâ manum ne amove. P Certè ſi Philoſophi Gentiles in *umbra* ſolùm *virtutis* verſati ſupra communem vivendi normam ſeſe erexerunt, dum divitias oblatas reſpuerunt, poſſeſſas in mare demerſerunt, voluptates neglexerunt, honores contempſerunt; erubeſcat neceſſe eſt Chriſtianus, qui cœleſti lumine illuſtratus, charitate divinâ donatus, gratiâque supernâ adjutus *vili animo* humi ſerpit.

JACULATORIÆ.

Uſquequo claudicas in duas partes anima mea? ſi Dominus eſt Deus, Deus magnus, & laudabilis nimis, ſequere eum toto corde tuo, totâ mente tuâ, totis viribus tuis.

Aſcenſiones in corde meo diſponam: ibo de virtute in virtutem: juſtus juſtificabor adhuc, & ſanctus ſanctificabor adhuc.

Omnia arbitrabor ut detrimenta, ut Chriſtum lucrifaciam.

Mihi moriar, ut juſtitiæ vivam: mundus mihi crucifixus ſit, & ego mundo.

Chriſto confixus ſim cruci: vivam jam non ego, vivat verò in me Chriſtus.

Oratio Eccleſiæ. *Concede quæſumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent: quatenus quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K

De Præparatione animi contra tentationes.

VIx A populus Iſraëliticus Ægypto pedem extulit, Deúmque præſcriptis ab eodem ritibus colens B per deſertum *terram ſanctam* versùs progredi cœpit, mox unà cœpit tentari, Ægyptiórum cucumeres, cepas, ollas carnium concupiſcere, & affectibus in *terram ſervitutis* remeare. Sortis tuæ hoc eſt ſymbolum, qui nuper peccati ſervitute exceſſiſti, & Regnum Dei inquiris. In quocunque enim ſtatu, & loco vixeris, *nuſquàm* liber eris à tentatione, tametſi, quia vel *rudis* es, vel *incurius*, id non advertas. Non Collegium Apoſtolorum Petrum, & Judam; non Paradyſus primos Parentes; non cœlum Angelos à tentatione, & lapſu exemit. Ut meritò moneat Eccleſiaſticus: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* Præparabis verò animam tuam, ſi *hoſtes* obſerves, *tentationes*, & conatus eorundem prævideas, & opportuna *remedia* adhibeas. Primus, cui nomen *tentatoris* proprium eſt, hoſtis tuus, eſt C *dæmon*, qui cùm cœlo proſcriptus ſit, & orco addictus, crudeliſſimo odio, & invidiâ in Deum, hominémque (utpote Dei imaginem) ardet, & ſævit; nihílque non agit, ut à Deo abducat, & in eandem ſecum damnationem pertrahat, quotquot poteſt. Alter hoſtis eſt D *caro, natura corrupta, ſenſus, inferior homo*, quæ, uti & alia ſimilia nomina idem ſignificant. Tertius eſt E infamis apud Chriſtum *Mundus*: quo nomine venit multitudo hominum in mundo viventium juxta dictamina, & deſideria hominis inferioris: quæ licet naturæ, ſeu carni tribuantur, prout in quolibet *privato* excitantur, mundi tamen reverà ſunt, prout *publicè* exercentur, & mutuâ conſuetudine aliis ab aliis veluti propinantur. Tentationes, inſidiæ, fraudes, quibus dæmon (carne & mundo ſubſervientibus) perdere conatur, ſunt *ſinè numero, ſinè ordine, ſinè modo.* Id primò, & maximè curat, ut intellectus ſolidas veritates, vel omnio ignoret, vel non ſeriò apprehendat; econtra verò erroneis, & perverſis circa res hujus & alterius vitæ judiciis, & in his pertinaciâ, ac obſtinatione occupetur. Hâc arte maximam partem orbis ſternit, quandoquidem hoc ipſo, quòd intellectus excæcatus, vel deluſus ſit, omnium aliarum potentiarum operationes eſſe bonæ non poſſint. Nihilominus ipſas quoque alias potentias ſingulas adoritur, & voluntatem, facultatem imaginatricem, appetitum ſenſitivum, viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, potentiam locutivam, & locomotivam eò detorquet, ut actus beneplacito Dei conformes omittant, difformes admittant. Obſervat in eum finem eſcam, quâ quiſque trahitur; partem, quâ quiſque debilior eſt, magíſque incurius: temperamentum cujuſque cholericum, phlegmaticum, ſanguineum, melancholicum; propenſiones, & motus naturales, habitus & conſuetudines pravas, occaſiones externas, locum, in quo quis degit; officium,

quod

quòd gerit; occupationes, quas ſuſcipit; perſonas, quibuſcum agit; convivia, ludos, neceſſitates naturæ, quibus indulget, & quidquid hominem circumſtat. His *omnibus* ſe immiſcet, laqueos ſtruit, & lapſum parat, ut omnes creaturas faciat in *muſcipulam pedibus inſipientium.* Si magna nequit, parva molitur damna: ſi & his fruſtratur, à majori ſaltem bono impedire ſatagit. Quibus mundum totum apertè aggreditur, & perdit, ſunt tria illa notiſſima F *voluptates ſenſuum, & carnis.* G *Cupiditas divitiarum* H *Ambitio honorum.* O ſcyllæ! ô charybdes! ô ſcopuli! ô vortices! Tu, ut hæc declines, tria horribiliſſima æternæ *Veritatis* pronuntiata menti tuæ indelebili charactere inſcribe. Primum, *ſi ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*, morte utique æternâ. Secundum, *faciliùs eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Tertium, *ſuperbis reſiſtit Deus.* Quid graviùs dici poteſt? *Remedia* aliarum tentationum ex eo deſume, quòd *contraria contrariis, curentur.* Deinde, quia nunquam *ad malum traheris*, neque *à bono retraheris* (quod eſt propriè tentari) niſi vel propter *voluptatulam*, quam amas; vel propter *difficultatem*, quam horres, & doles, meritò cum magno Auguſtino omnes tentationes ad duas revocabis: *amorem* repudiandum, & *dolorem* vincendum; ſimúlque cum eodem Doctore duo oppones efficaciſſima remedia. I Chriſti pro te paſſi *amorem*, & *dolorem*; ita, ut firmâ voluntate te offeras ad contemnendum pro amore Chriſti omnem amorem, & ad ſuſtinendum pro dolore Chriſti omnem dolorem. Denique cùm omnes tentationes eò tendant, ut à *fine creationis*, (obſequio Dei, & ſalute tua) avertaris, omnes elides, unóque velut ictu proſternes, ſi *vivam* finis creationis, ſimúlque graviſſimæ obligationis ad eundem tendendi apprehenſionem, ac etiam efficax ejuſdem finis deſiderium habueris; K quod effigies Viri hujus (*virili* enim pectore certandum eſt) denotat.

JACULATORIÆ.

Ab inſidiis diaboli, & ab omni peccato libera nos Domine.

Nihil proficiat inimicus in nobis, & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.

O Bone JESU, intrà vulnera tua abſconde me, & ne permittas me ſeparari à te.

Tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare.

Oratio Eccleſiæ. *Da fidelibus tuis, quæſumus Domine in tua fide, & ſinceritate conſtantiam, ut in charitate divina firmati nullis tentationibus ab ejus integritate avellantur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



O æternitas
O æternitas
N
M
O
B
I
F
P
K
L
G
H
A
D
C
E

De Charitate erga proximum.

INtuere iterum hic flammarum vortices, A & horrida inferorum tormenta; ſimul illud expende, & deplora, quòd tantus ſit B numerus omnis conditionis, ſexûs, ætatis, ad hoc tormentorum barathrum tam cæcè, & ſinè ſenſu decurrentium, tanquam ſi merè pictum, & fictum eſſet, quidquid de ſuppliciis in altera vita peccato irrogandis, & *Ratio*, & *Fides* docent. Apprehende rei gravitatem, compatere in præceps ruentibus animabus, & tanto malo, quà potes, remedium adfer. Nam certè *unicuique mandavit Deus de proximo ſuo* Eccl. 17. & unicuique dictum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, & 1. Joann: 4. hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, *diligat & fratrem ſuum*; quòd vel maximè de *ſalute animi* intelligitur, quam ipſis quoque *inimicis* noſtris procurare nos convenit, ſi filii Patris cœleſtis eſſe cupimus. Multitudo porro pereuntium triplici claſſe comprehenditur. 1. *Infidelium*, (Paganorum, Judæorum, Mahometanorum, Hæreticorum) ſive eorum, qui *in tenebris, & umbra mortis ſedent*, veræ fidei lumine deſtituti, His plena eſt Aſia, Africa, America, & magna (eheu!) pars Europæ. 2. *Peccatorum*, qui fidem in Chriſtum quidem tenent; at charitate, & gratiâ Dei exciderunt per mandatorum ejus transgreſſionem. 3. *Juſtorum tepidorum*, quorum ſtatum æternæ damnationi obnoxium eſſe, ſi ægrè intelliges, credes tamen id æternæ veritati aſſerenti: utinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed *quia tepidus es*, incipiam te evomere ex ore meo. Omnibus his occaſio, & cauſa interitûs ſunt potiſſimùm C *bona temporalia*; Opes, Voluptates, Honores. Iſta D dæmon oſtentat tanquam theſauros ſummæ felicitatis, eorúmque noxio deſiderio E fraudulenter ferit ſummos, & imos. Ad iſta per fas, & nefas conquirenda F mundus omni conatu trahit: quin & G ipſe naturæ vitiatæ genius proprio impetu cæcè fertur, tanquam ad unicum vitæ humanæ ſolatium. Et tamen ſi illum audis, qui nec falli poteſt, nec fallere, ſunt H *ſpinæ*: *Matt.* 13. quarum aculeos ſi non ſentiunt, tum illa aulicæ libertatis mancipia, quæ Seneca ait ad alienum dormire ſomnum, ad alienum ambulare gradum, ad alienum comedere appetitum, & vitam penè totam vivere alienam, tum alii, qui per neſcio quas ſervitutes, & ſordes ea bona caduca proſequuntur, callum profectò obduxerunt. Sed tu quî tandem auxilium feres tot excæcatis, inſenſatis, & à vera felicitate miſerè deviantibus animabus? Tripliciter. 1. *orando* continuè Deum pro imperranda Infidelibus *fide*, (media efficacia novit ipſe Deus,) peccatoribus *pœnitentia*, Juſtis *zelo gloriæ Dei*, omnibus *perſeverantia* in bono uſque ad finem: I quod etiam in vita ſolitaria præſtare vales: orando item pro zelatoribus animarum, benefaciendo iiſdem, eorúmque conatus promovendo. 2. *docendo* K quoſcunque potes, veritates

tes fidei, fugam mali, proſecutionem boni; inflammandóque ad ſum̃am perfectionem, & ſanctitatem. 3. Denique *præeundo* omnibus bono vitæ exemplo in publico, & privato, quo S. Franciſcus Seraphicus plures ſe Deo lucraturum meritò credidit, quàm multâ ſermocinatione: ſermo enim vivus, & efficax *exemplum operis* eſt. Si ejus inſtituti es, quod L *curam animarum* profitetur, omni conatu in tantum miniſterium incumbe; neque ſuſtine, ut dæmones, & perverſi homines pro animabus perdendis majorem, quàm tu pro lucrandis operam impendant; dic cum S. Paulo: *volo omnes eſſe, ſicut ego ſum.* Et recordare, quòd etſi im̃enſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam, *S. Chryſoſt.* quòd ſanguinem Chriſti recolligas, ſi proximum ſalvas, *S. Bonavent:* nullúmque Deo gratius ſacrificium offerre poſſis; quandoquidem omnium divinorum operum diviniſſimum ſit cooperari Deo in ſalutem animarum, *S. Dionyſ. Areopagita.* Si labori fructus non correſpondeat, cave imitari M Carpum, ſanctum, alioquin Epiſcopum, qui reverſas ad iniquitatem animas illico ad inferos deturbari voluit. Sed indiſcretum fuiſſe zelum ipſe Chriſtus Dominus noſter docuit, N cùm deſcendens de cœlo paratum ſeſe exhibuit, (ut S. Dionyſius Areopagita refert,) iterum, ſi neceſſe foret, mori, & O conſtitutis ad fauces inferni animabus adjutricem dexteram porrigere. Id tu ſolùm cura, ne *culpâ tuâ* anima vel unica detrimentum patiatur. O quàm horrendum erit audire nonnullis Paſtoribus, Parentibus, Majoribus, his qui præſunt, & quibus cura aliorum quomodocunque incumbit: *Impius* (tibi com̃iſſus, & à te neglectus) *ipſe* P *in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Verùm præter hanc cooperandi ſaluti æternæ proximi tui legem plures ſunt aliæ, quibus eidem obſtringeris. Compendium univerſarum accipe: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Omnia verò quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

JACULATORIÆ.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam Domine.

Miſerere, miſerere famulorum tuorum, quos delictorum catena conſtringit, ut eos miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Aperi Domine oculos cæcorum, & aures ſurdorum: illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo Domine.

Convertantur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorent in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire; reſpice ad animas diabolicâ fraude deceptas, ut omni pravitate depoſitâ errantium corda reſipiſcant. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


K
F
E
L
H
D
B
Miſeremini mei
Saltem vos amici mei
O ſi daretur hora
I
A

CONSIDERATIO XXIV.
De Purgatorio.

DUo hîc diſce, *miſericordiam* erga animas in purgatorio detentas, & horrorem ac *fugam peccati venialis*, etiam leviſſimi. Quos in flammis conſpicis, A, ſunt parentes tui, conſanguinei & agnati; ſunt amici,& benefactores tui, qui dum viverent, votis, conſilio, & auxilio tibi prodeſſe ſtuduerunt; ſunt commilitones tui, qui in eadem cauſa contra eoſdem hoſtes pro communi tua, & ſua felicitate decertârunt. Sunt majores tui, quibus reverentiam; æquales, quibus amorem; inferiores, quibus curam olim debebas: ſunt denique ejuſdem tecum myſtici corporis membra eâdem fide, ſpe & charitate in Chriſto conjuncti. Hi omnes Reges ſunt, ſed ſinè regno, victores, ſed ſine corona: Angelorum conſortio deputati, Orci furiis vicini: habent jus ad cœli bona, ſed extremâ penuriâ premuntur: beati in ſpe, miſeri in re: filii Dei ſunt, & Chriſti cohæredes, ſed iis ſubjecti pænis, quibus ipſi reprobi, & damnati Dei hoſtes (ſolâ demptâ æternitate) torquentur. Et in hoc tanto tantorum tormentorum æſtu inſufficientes ſunt vel leviſſimum ſibi afferre levamen. B Optarent illi quidem vel unicam ſibi concedi horulam,(quâ quid non facerent?) ſed elapſæ ſunt horæ omnes *divinæ indulgentiæ*, & quæ modò decurrunt, vel potiùs lentiſſimè illis protrahuntur tempora, *Juſtitiæ* debentur, quæ ex hoc loco tormentorum non dimittit, donec noviſſimum quadrantem & minutum reddant. C At ecce adhuc miſerationes Domini, qui horam, quam tantopere concupitam negat illis, ultro indulget tibi, ut quod nequeunt ipſi, tu flammas iſtas ciliciis opprimas, flagris diſſipes, gemitibus diffles, lacrymarum imbribus extinguas. D Tuam igitur miſericordiam, & opem validis clamoribus implorant: quam utique non negabis *amicis tuis*, qui etiam luctanti cum flammis *cani* eam non negares, ipſéque iiſdem pœnis es obnoxius, ac propediem involvendus, ubi pariter aliorum in te miſericordiam conſecuturus ſis, ſi nunc in alios tuam impertiaris. E Opitulaberis præcipuè Sacro ſancto Miſſæ Sacrificio, quo nihil Deo gratiùs, nihil vivis ac defunctis ſalubriùs offerri poteſt. F Huic junges ferventes preces tum ad aras, tum ad ſepulchra defunctorum, & jaculatorias, quoties harum animarum recordatio animum ſubit. G Addes quoque eleemoſynas, aliáque charitatis, cæterarúmque virtutum opera, cùm omne opus bonum, ſicut eſt *meritorium* gratiæ,& gloriæ, & *impetratorium* donorum cœleſtium, ita quoque ſit *ſatisfactorium* pro peccatis propriis,& alienis. Sunt, qui lucrandis omnibus indulgentiis ſoliciti invigilant, ut animabus iſtis applicent, quas poſſunt, nullas ſibi retinendo: ſpe juſtâ freti, ſe plenariam indulgentiam in morte certò conſecuturos earundem animarum interceſſione. Placeat imitari. H Et mox Angelus optatum nuncium illis feret, replebítque refrigerio, & conſolatione. Harum pœnarum

narum ſi cauſam quæris, eſt cogitatio inutilis quæcunque; eſt omne verbum otioſum; eſt amor inordinatus creaturæ cujuſcunque; eſt motus etiam ſemiplenè tantùm liber odii, iræ, vindictæ, circa proximum; eſt propriæ exiſtimationis deſiderium, propriorum comodorum ſtudium, voluptatulæ in cibo, potu, ſomno, corporis exercitio, animíque diſtractione nimia captatio, & vel ſola nimia appetentia; ſunt omnes actiones vanæ, & ad *finem creationis* non relatæ. I Sunt & ipſæ *actiones piæ*, meditationes, examina, preces, confeſſiones, comuniones, ſacræ lectiones, conciones ſegniter, & ſecùs, ac deberent, obitæ; verbo, cauſa tantorum cruciatuum præter peccata mortalia in hac vita non ſatis expiata, eſt peccatum *veniale* quodcumque etiam *leviſſimum* K *Non* enim *intrabit aliquid coinquinatum* in Regnum Dei, ubi omnes erunt ſicut Angeli Dei collaudantes, & benedicentes viventem in ſæcula. Ex quo tu illud confice, magnum profectò & *grande* eſſe oportere, quod perverſâ opinione, & corrupto judicio noſtro *leve* cenſemus, & dicimus. Nam finge hominem creari ſinè ulla notitia inferni, aut purgatorii, cui tamen detur videre & intelligere cruciatus illos animarum, ignorare verò cauſam, & occaſionem tantorum ſuppliciorum. Quid putas dicturum? Dicet ſanè, aut Deus (qui ſic cruciat,) *injuſtus* eſt, & *crudelis* tyrannus; aut *horrendum malum* eſt, quod ſic punitur. Et verum dicet. At non eſt injuſtus & crudelis, ſed æquiſſimus & mitiſſimus Deus noſter, utpote qui citra condignum etiam ipſos *damnatos* punit gauderétque *minori* adhuc ſupplicio punire, ſi abſque divinæ juſtitiæ violatione id fieri poſſet. Neceſſe ergo eſt, *ingens malum* eſſe, quod ſic punitur, & *graviſſimum* eſſe *errorem noſtrum*, qui tam parvi pendimus incurias noſtras, & affectus noſtros, ut eos peccatis vix, & ne vix quidem adnumeremus; ſæpéque parati ſimus priùs omne venialium genus admittere, quàm vel unicam contumeliam ſuſtinere.

JACULATORIÆ.

Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.

Ipſis in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur.

Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem: Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

A porta inferi erue Domine animas eorum. Requieſcant in pace, Amen.

Oratio Eccleſiæ. *Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.*



25

De Communicatione cogitationum, & affectuum ſuorum cum Patre Spirituali.

CORpore conſtamus, & *animo*: *temporalia* inquirimus, & *æterna*. Ut corpus, & temporalia bene cures, A parentes, qui te ſecundùm carnem genuerunt, vel alios rerum earum peritos conſulis, audis, ſequeris. Et rectè; ſiquidem, *ne innitaris prudentiæ tuæ*, monet ſapiens, Proverb. 3. ut animum quoque, & æterna debitè cures, pariter conſulere debes, audire & ſequi B directorem Spiritûs: tantóque magìs, quantò anima corpori, æterna temporalibus præſtant. Duo te hinc retrahent, C *Vitium*, ne te manifeſtes, & D vetus prava *conſuetudo*, ne conſilia exequaris. Vitium enim, cùm fœdum ſit, videri fugit, latere quærit. Conſuetudo verò cùm ſit *altera natura*, vetuſtatem exui, & novitatem indui ægrè admodùm patitur. Sed monet ex adverſo E Angelus tuus *Regnum cælorum vim pati*, & arduam ad illud viam non ſcandi ſinè duce: F virtutem non addiſci ſinè Magiſtro: G & ipſum, qui primus Magiſter eſt, Chriſtum operâ hominum uti in illuminandis, & ſalvandis, quos redemit, & elegit, prout in Paulo cernis, quem formaturus Doctorem gentium ad Ananiam miſit. Neque obtendas de rebus agendis, aut omittendis, jam plenos extare libros, & propè integras Bibliothecas: nam illi ipſi inter agenda hoc reponunt, *arcana ſalutis cum Duce animæ conferre*. Quæ enim ſit H occaſio virtutis in *præſenti* conſolatione, deſolatione, aliâque animi tui affectione, non æquè docere queunt libri, ac pius, prudénſque, cui anima tua perſpecta ſit, Conſultor, Cùm deinde *intellectum* ignorantia, & erronea judicia pervertunt, (quibus ô quot eximii adoleſcentes I ad ſiliquas porcorum cùm filio prodigo devolvuntur!) ille rationis facem accendit, ut unde deviaveris, & quò reverti debeas, perſpicias. Cùm *voluntatem* torpor occupat, K ſeminátque inimicus zizania in agro cordis tui, ille torpentem excitat. Cùm potentiæ *executivæ* L opere externo nunc excedunt, nunc deficiunt, ille moderatur, & temperat. Cùm demum *ab extrinſeco* M lupus infernalis imminet, ut animam tuam rapiat, ille fidus paſtor eſt, qui te protegit. Quidni igitur animam tuam eidem concredis? & quod jam olim antiqui Patres aſſiduè monebant, omnes cogitationes, & deſideria tua, bona, & mala pandis? *Noli ſapere apud temetipſum*, monet iterum ſapiens: *eſt enim via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Nec confundaris dicere verum pro anima tua: eſt enim hæc confuſio adducens *gloriam & gratiam*, mirúmque concilians amorem ejus, qui ſe Patris, ac Dei loco à te deligi, ſibíque totam animam tuam candidè concredi videt. Nec paterno amori huic adverſatur fœditas tentationum, & fragilitatum tuarum quantacunque; novit enim director tuus humanum eſſe peccare, dum luteas domos inhabitamus; & novit compati in firmi-

firmitatibus tuis. Neque tam fœdum quid ei adferes, ut non ſexcentos alios habuerit iiſdem implexos fragilitatibus: quin fortè ipſe per eandem viam tranſivit. Audi quendam Patrem ſpiritualem. *Novit* Deus, inquit Gerſon, *quo amoris affectu, & dilectionis viſceribus in illum ferar, qui ſuas mihi miſerias aperit, quæ quo abjectiores, & fœdiores ſunt, eò magìs viſcera, & cor meum erga eum ſentio commoveri.* Dæmonis itaque ſuggeſtiones ſunt, quæcunque ruborem inducunt, & tui manifeſtationem diſſuadent. Nam proco ſimilis eſt, qui cùm filiam honorati viri ſeducere tentat, id unum maximè curat, ne conatus ſui à filia Parentibus detegantur. Pariter & dæmon, ne anima tua, quam deperit, filia magni Regis Patri ſpirituali aperiat, quæ circa eam geruntur. Quæris, quem in animæ conſultorem deligas? Virum *ſapientem*, & *fidelem*, qui prodeſſe *poſſit*, & *velit*, qui viam cœli *noverit*, & ipſe eam *ambulet*. Facilè id deprehendes, ſi ſermones illius, & actiones obſerves. Talem ſi inveniſti, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Alioquin S. Bernardum audi: *qui in negotio ſalutis æternæ ſe ſibi Magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* Unum te adhuc monitum volo perquàm neceſſarium, ne illico deſeras, quem prudens elegiſti, ſi fortè is ſerium ſeſe tibi exhibeat, reprehendàtque reprehendenda. Infantium & puerorum eſt declinare medicum tentantem ferro ulcus incidere, ſaniem exprimere, putreſcentem carnem ſale, & aceto perfricare. Virilis econtra pectoris eſt ſe totum Medico ſubmittere, tametſi ſtomachum everſuro, cauteria inuſturo, quin & brachium, aut pedem reſciſſuro: novit enim meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Non te diligit, credas, conſcientiæ tuæ arbiter, qui peccatorum tuorum gravitatem diſſimulat, & opportuna remedia adhibere omittit: atque utinam non iiſdem unà tecum implicetur pœnis, computreſcere te ſinens in ſordibus tuis.

JACULATORIÆ.

Ubi non eſt Gubernator, populus corruet: ſalus autem, ubi multa conſilia.
Væ! qui profundi ſunt corde, ego autem non abſcondam injuſtitiam meam, & oſtendam me ſacerdoti.
Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Væ ſoli!
Infixus ſum in limo profundi: mitte Domine auxilium de Sancto.
Mitte Domine, quem miſſurus es, qui dixiſti: dabo vobis paſtores juxta cor meum; ne quando rapiat inimicus animam meam.

Oratio Eccleſiæ. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat, & Beati Joannis Præcurſoris (& quos Doctores vitæ habemus in terris) hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


INRI
A
F
G
H
Venite ad me qui laboratis.
E
I

De Fiducia in Chriſto JESU paſſo, & mortuo pro nobis peccatoribus.

EN A Spectaculum Deo, Angelis, & hominibus: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus ſtultitiam; Vocatis autem virtutem, & ſapientiam Dei: en inquam verum, naturalem, & conſubſtantialem (*auditus non capit, mens non attingit, creatura æſtimare non ſufficit, & credere pertimeſcit*, S.Chryſol.) veri Dei Filium diriſſimè excruciatum, infami patibulo ſuſpenſum, & acerbiſſimâ morte ſublatum. Hæres attonitus, & Auctorem quæris, cauſámque tam funeſtæ tragœdiæ? Immenſa *Bonitas* adinvenit, & *nimia, quâ Deus nos dilexit, charitas* operata eſt opus iſtud, ut impaſſibilis pateretur, & immortalis moreretur: non alium ob finem, quàm ut malis, quibus undique premimur, nos eriperet, & bonis æternis cumularet. Expende ſis quidquid te undique affligere poteſt: nihil reperies, in quo non ſit tibi refugium, adjutor, & ſalus JESUS crucifixus. B Habes *infra te* frementem dæmonem, & mille intentantem ad te perdendum jacula. Sed quem hìc pendentem conſpicis, hic eſt, qui confringit arcum ſortium, ſortémque alligat ipſe fortior: ut plus jam dæmonem metuere non habeas, quàm canem catenæ alligatum, qui mordere non poteſt niſi accedentem, & volentem. C Habes *intra te* mordens, & remordens, aſſiduéque flagellans peccatum comiſſum. Sed ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quidquid omnes deliquimus, omnes omnium noſtrûm iniquitates ipſe portat, & in hac trabe luit, lavátque nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. D Habes *retro te* mortem temporalem, & æternam. Sed confide: chirographum mortis *æternæ* Chriſtus delevit, & in cruce complevit, quod per Oſeam prædixit: *Ero mors tuâ ô mors*(æterna)*& morſus tuus ero, inferne.* Mortem verò *temporalem*(cunctáque adverſa)ipſe moriens exemplo ſuo ſic dulcoravit, ut amabilis, & verè deſiderabilis facta ſit omnibus, qui cupiunt conformari, & eſſe cum Chriſto. E Habes *circum te* mundum callidè blandientem proſperis, quibus plures intereunt, quàm adverſis. Sed crux Chriſti eſt baculus in lubrico: hanc tene, & firmus ſtabis inter omnes blanditias: omne mel mundi amareſcet felle Chriſti. F Habes demum(quod graviſſimum eſt,)*ſupra te* offenſum, & iratum Deum cœli, & terræ, in cujus manus incidere eſt horrendum. Ne deſpera; adhuc in hac cruce ſalus. Paſſio, & Mors Chriſti ipſum exarmat Omnipotentem, atque inſuper ad cœleſtes theſauros conferendos liberalē eſſe vi quâdam compellit. Eſt enim ſatisfactio Chriſti non modò *ſufficiens & æqualis* debito noſtro, ſed *excedens, & ſuperabundans*, éſtque *ex juſtitia*, & omni *rigore juſtitiæ*, eo modo, quo probatur à Theologis. Sunt merita Chriſti ejus valoris, ut quantacunque Pater intuitu Filii crucifixi remittat ſcelera hominibus; quantacunque deinde largiatur dona, etiam per totam æternitatem, ſemper adhuc debitor

maneat

maneat obſequiis Filii. Quid ergo formides ampliùs inferno ſuperato? Quid deſperes cœlo, cœlíq; domino reconciliato? ô Chriſtiane, ſi hæc intelligis, quomodo non liqueſcit cor tuum amore Chriſti pro te crucifixi? Filii Jacob, quantùm gaviſi ſunt, quando cognoverunt Fratrem ſuum Joſeph regnare in Ægypto, injuriarúmq; omnium oblitum verbis dulciſſimis invitantem ſeſe audiverunt: *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Ecce, qui dignatus eſt eſſe frater noſter, regnat in cœlo, & omnium, quæ in eum peccavimus, im̃emor amantiſſimè invitat *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* G Exſurgant nunc in te tenebrarum poteſtates omnes, ridebis tranquillus cum S. Antonio inanes conatus. Premant adverſa humana quæcunq; aderit, ne dubita, cœlitùs auxilium: ſi enim reſpexit Deus H *deprecationem* Moyſis *ſervi* ſui, quomodo non reſpiciet *effuſionem ſanguinis Unigeniti ſui*, cujus vel unum ſuſpirium magìs placuit, quàm diſpliceant omnia peccata totius mundi. Porro unū eſt neceſſarium, *Applicatio ſanguinis Chriſti tibi.* Quid enim prodeſt fons vitæ, niſi aquam ſalutis haurias? Quid confert theſaurus Regius, niſi capias, quo tua exſolvas debita, & te ipſum dites. Hæc applicatio fit duobus modis, 1. ex *opere operato* per Sacramenta: 2. ex *opere operantis* per actus virtutum. I Eja ergo anima Chriſtiana, ut tua efficias tanta merita, advolvere corde toto pedibus Chriſti crucifixi, ubicunq; eum conſpicis, vel cogitas; & præter frequentem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſum, crede, ſpera, dilige, gratias age, confundere, dole, propone meliora, reſigna, conforma, & Chriſto confige te cruci, atque in omni neceſſitate tua, ſeu liberari à malis, ſeu bonis ditari cupias, clama cum Eccleſia corde toto ad Patrem æternum: *Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum*: & non jam precaberis, ſed quaſi adjurabis omnipotentem Deum, debitúmque exiges ob *appropriata* tibi Chriſti merita valoris *infiniti.*

JACULATORIÆ.

Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: ego autem ſperabo, & gloriabor in cruce Domini noſtri JESU Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.

Hauriam aquas de fontibus Salvatoris, fiducialiter agam, & non timebo: quia Dominus factus eſt mihi in ſalutem.

Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

Servus tuus ſum ego, emptus pretio magno (ſanguine tuo) Domine: noli me (derelinquere.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum Vide pſalm. 30.

Oratio Eccleſiæ. *Domine JESU Chriſte Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum vivificâſti, libera me ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis, & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*


F
E
B
D
C
G
A

De Solitudine, ſive recollectione interna per ſpiritualia exercitia.

AD ſolitudinem te invito; Eremitam te volo. Non tamen Paulũ, aut Antonium eſſe jubeo, perpetuum eremi incolam, ſed ad paucos duntaxat dies te uni tibi intentum cupio. Vix reperies Sanctum, qui ſolitudinis amans non fuerit. Sapientũ quoque conſilium eſt à turba ſubindè ſecedendum, & ſecumipſo habitandum eſſe. Sed tempus, inquis, otio perdam, & ſolitarius agens melancholiâ contabeſcam. Neutrum metue: occupatiſſimus eris,& minimè ſolus cùm maximè ſolus, ſempérque hilaris; quia malis tuis te levabis, & veris bonis locupletabis. Quid igitur ages? A. Primò rationes ipſe tecum pones vitæ ad hoc uſque tempus tranſactæ, expendendo accuratè omnes obligationes tuas,(quas præcepta Dei, & Eccleſiæ, Regulæque ſtatûs & officii tui tibi exponunt,) & an, ac quomodo illis ſatisfeceris? Hîc eouſque conniti debes, ut *peccatorem omnium maximum*, *viliſſimum*, *indigniſſimum* te pronuncies, non ex affectatione, ſed ex animo: niſi enim ſic de te verè ſentias, magnâ parte humilitatis cares. Et certè ſi *primum* (maximum) *peccatorem* ſe dixit Paulus, utique id animo ſenſit; mentiri enim non potuit os illud Spiritûs ſancti: quidni, & tu, miſer per omnia homo, id de te ſentire poſſis, & verò debeas? O mi Deus, ſi *moralis dignitas*, & pretium creaturæ rationalis in eo ſitum eſt, quòd *cognoſcat*, *& advertat obligationem ſuam, & juxta illam operetur*, non poſſum diffiteri me indigniſſimum, & viliſſimum eſſe *præ omnibus*: quia neminem ſcio, in quo hæc tria, *tantæ obligationes*, *tanta earundem advertentia*, *& tantus nihilominùs obligationum neglectus* unà reperiantur, ſicut in me. Scio equidem peccatum *Iudæ*, ſed necdum Chriſtus eum obligaverat, ſicut me, quia necdum mortuus erat pro illo. Præſagio peccata *Antichriſti*, ſed non toties remiſſionem peccatorum conſequetur, nec tam efficacibus auxiliis, beneficiis, & inſpirationibus ſolicitabitur, nec ab occaſionibus peccandi præſervabitur, ut ego. Scio peccatum *Luciferi*, qui majorem quidem lucem habuit, ſed non tantam obligationem, ut ego; nam illico poſt primum peccatum damnatus eſt, non ego; & ſanguinem ſuum Filius Dei non fudit pro illo, ſicut pro me. Si fortè alia quæpiam creatura te ipsâ majorem obligationem habuit, majorémque illius advertentiam, & nihilominùs graviùs, quàm ego peccavit, prudenter id cogitare non poſſum ego, qui alienam mentem, & conſcientiam, gratiáſque internas non perſpicio; adeoque *vilior omnibus hominibus*, *& dæmonibus*, mihi videri non deſino; non ex affectata modeſtia, ſed vera, prudentíque ratione. Sed quantumcunque me vilem peccatorem reputem, ſum *reipsâ* vilior, & major peccator, quàm reputem: tum quia millies delinquo, & delictum non agnoſco (agnoſcam aliquando!) tum quia ſicut non ſatis capio excellentiam, & maje-

majeſtatem Dei, qui peccato offenditur, nec valorem, & pretium bonorum ſpiritualium, quibus peccatum privat: ita nec ſatis capio peccati gravitatem, meámque peccatoris indignitatem. Eheu confundor, & abſorbeor in profunditate ignominiæ meæ! Cognito miſero ſtatu animæ tuæ ad meliora aſpirabis, & emundatâ integrè per confeſſionem generalem conſcientiâ B Pane cœleſti te reficies, quo gratia ſanctificans (vita animæ) in te perſeveret, & augeatur; auxilia ſpecialia ad vincendas tentationes, & exercendas virtutes ſuppeditentur; peccata venialia remittantur, lethalia præpediantur; corpus tuum contactu Chriſti ſanctificetur; animæ jus ad æternam beatitudinem, corpori ad glorioſam reſurrectionem in die noviſſimo acquiratur. Qui omnes ſunt *infallibiles effectus Eucharistiæ* in quocunque obicem non habente. Ad hæc orationi inſiſtes C partim *vocali*, (Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & communes Eccleſiæ preces primatum tenent,) D partim *mentali*, in qua ſpecialiter vitam, paſſionem, & mortem Chriſti Ducis tui meditaberis, tum ut te gratum exhibeas memoriâ eorum, quæ pro te geſſit, & paſſus eſt, tum ut ad ejus imitationem componas vitam, & mores tuos. E Auſcultabis præterea Dominum ad cor loquentem ſolidas, æternáſque veritates, eáſque etiam in charta ad id parata annotabis, plurimùm profuturas, cùm minimè putabis. F Sic mundatus à peccatis, pane cœleſti confortatus, oratione Deo conjunctus, divinis illuſtrationibus irradiatus levabis te ſuper te, omnéſque res creatas: & *cœleſtis* homo effectus *nihil voles præter Deum, niſi propter Deum.* Denique G ſimilis factus pellicano ſolitudinis vitam ſpiritualem, quam hauſiſti, aliis quoque, imprimis verò tibi commiſſis communicabis, *illuminando* eorundem *intellectum*, ubicunque fert occaſio, & *excitando voluntatem* ad horrorem peccati, ad amorem virtutis, ad deſiderium eximiæ ſanctitatis.

JACULATORIÆ.

Domine, qui dixiſti: ducam eam (animam) in ſolitudinem, & loquar ei ad cor: ecce me, loquere, quia audit ſervus tuus.

Sedebo ſolitarius, & tacebo, & exercebor in tuis juſtificationibus.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & levabo me ſuper me.

Sicut adipe, & pinguedine replebitur anima mea, & labiis exultationis laudabit te os meum.

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in Deo meo.

Oratio Eccleſiæ. *Vota, quæſumus Domine, famulorum tuorum cœli pietate proſequere: ut & quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convaleſcant. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



יהוה
R
B
C
D
F
G
K
O
M
Q
K
M
I
H
P
N

De Gratitudine erga Deum.

NOn eſt dignus dandis, qui non eſt gratus pro datis, ait S. Auguſtinus; & rectè deſeritur à gratia, qui gratiam per gratitudinem non veneratur, S. Bernardus. Cùm verò nullum ſit *momentum* temporis, quo Deus in nos beneficus non ſit, & omnia, quæ operatur, ſint noſtra beneficia, meritò hortatur Apoſtolus, ut *ſemper*, & *in omnibus* gratias agamus. Hæc Deo debita gratiarum actio, ſeu gratitudo tria complectitur: 1. *Recognitionem* beneficiorum, 2. *Æſtimationem*, *& laudem* eorundem, & vel maximè ipſius Benefactoris, 3. *Retributionem* reciprocam. Tu igitur, ſi gratus eſſe cupis, primùm A recole, & agnoſce, quanta fecit Deus animæ tuæ, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. B Elegit te Deus (ut jam alibi conſiderâſti,) ab æterno præ infinitis poſſibilibus, ut in tempore ex nihilo te crearet ad magnam gloriam ſuam, tuámq; æternam felicitatem. Cùm per peccatum in ipſo mundi exordio omni jure cœleſtis patriæ excidiſſes, mortiſq; æternæ reus effectus eſſes, néq; aliud ſupereſſet remedium, C Deus homo factus eſt, tuíq; rediméndi ardentiſſimo amore crucem paſſus, Dominus pro ſervo. D Ne in viam gentium abires, & perires, per baptiſmum te Eccleſiæ ſuæ aggregavit; fide, ſpe, & charitate dotavit, & ſanctificavit. E Cùm noſſet fragilitatem tuam, remedium in Sacramento pœnitentiæ miſericorditer conſtituit, quo ab omni iniquitate tua in ſanguine Chriſti dealbari, & veluti novo baptiſmo renaſci, Deóq; reconciliari poſſes. F Seipſum denique, corpus inquam, & ſanguinem ſuum unà cum Divinitate in cibum, & potum dedit, quo contra tentationes corroborareris, & ad virtutum exercitium ſolidareris. G Ne ignorantiâ, & erroribus pervertereris in medio nationis pravæ jam inde ab infantia accumulatis Spiritûs ſancti inſpirationibus te illuſtravit, & illuſtrat. Immorare tantiſper conſiderationi horum beneficiorum, eorúmq; magnitudinem ex eo æſtima, & obſtupeſce, quòd omnipotenti Deo nec potentia ſuperſit, quâ majora poſſit facere, nec ſapientia, quâ poſſit excogitare, nec voluntas, quâ poſſit optare; adeoq; Deus ſe ipſum quodamodo exhauſerit in ſic benefaciendo tibi. Innumera alia beneficia quotidie, imò horis, & momentis ſingulis in te liberaliſſimè congerit, quibus ſi te undique circumvallatum non vides, & ſentis, cæcus es, & bardus. H Illud quantum eſt, quòd priusquam natus eras, imò ut primùm in ipſo mundi exordio creati ſunt Angeli, *mandavit Deus Angelo ſuo de te, ut cuſtodiat te in omnibus viis tuis.* Quod mandatum hic cœleſtis Princeps ſic excepit, ut jam indè maximis votis ſæculum, annum, menſem, diem, horam tuæ in mundum, nativitatis exoptârit, eâq; ipſâ horâ gaudens deſcenderit de cœlo, ut tutelaris Præſidis officium ordiretur, mala inquam averteret, & bona provideret, corporis, & animi. Accuratam ejus circa te cuſtodiam ex aliorum miſerandis caſibus agnoſce. I Quot tui ſimiles, téque ſapien-

pientiores mente tandem excæcati violentas manus ipſi ſibi inferunt? K Quot odio, & invidiâ malevolorum pereunt? L Quot beſtiarum dentibus, & ferocitate è medio tolluntur? M Quot igne, aquis, cæterarúmque cauſarum naturalium concurſu vitam inopinatò, & violenter finiunt? N Quot à dæmone tibi æquè inſidiante, ac aliis miſerabiliter miris modis affliguntur, ipſóſque tartareos ſpiritus corporis ſui inquilinos circumferunt? O Quot demum non temporalibus tantùm, ſed (heu! heu! heu!) æternis, nunquam deſituris malis in peccatis ſuis morientes quotidie implicantur? Ab omnibus his eripuit te Dominus per Angelum ſuum, qui præcedit te, cuſtodit in via, & tandem introducet in locum, quem paravit, locum æternæ felicitatis. Eſt verò ipſa aliorum, & quidem tot hominum damnatio tuum beneficium: niſi enim tot damnarentur, minùs timeres: ſi nullus damnaretur, nihil timeres; & fortè tu ſolus damnareris. Vide nunc obſecro P quibus *laudibus* haſce Dei miſerationes, ipſúmq; Deum benefactorem efferre deceat. Et quia *non eſt ſpecioſa laus in ore* tuo *peccatoris*, invoca in laudem Dei creaturas omnes cum tribus pueris: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula, &c.* quod canticum familiare tibi reddes. Q Verùm quid poſtremò *retribues* Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi? Audi S. Nazianzenum: *quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis etiam te facultatibus adjunxeris, nunquam Dei liberalitatem vinces: nam Deo aliquid donare, hoc ipſum eſt accipere.* Si tamen, quo minùs totum te, tuáq; Deo conſecres, obſtat fortaſſis inhabilitas corporis, aut animi; gravis neceſſitas patriæ, aut parentum; obligatio juſtitiæ, aut alterius majoris boni; ſaltem R cor tuum (*affectus* inquam cordis) dedica nomini Domini Altiſſimi, & quod *opere* complere nequis, bonæ voluntatis *votis*, ac *deſideriis* compenſa.

JACULATORIÆ.

Verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere.

Miſericordias Domini in æternum cantabo; quia fecit mihi magna, qui potens eſt.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Quia redemiſti animam meam ex inferno inferiori, & de omnibus interitionibus eripuiſti me.

Confirmata eſt ſuper me miſericordia tua, & bonitatem feciſti cum ſervo tuo.

Oratio Eccleſiæ. *Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus; piiſſimæ majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens ad præmia futura diſponas. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


O
P
P
N
N
L
K
H
G
F
A
M
B
X
R
D
T
C

CONSIDERATIO XXIX.

De Die præſenti bene tranſigendo.

INutilis, imò noxia eſt boni *ſcientia*, quæ ad *actionem* non procedit. Nam *ſcienti* bonum, & *non facienti*, peccatum eſt illi, & ſervus *ſciens* voluntatem Domini ſui, & *non faciens*, vapulabit multis. Ad praxin itaque redigenda ſunt,quæ didiciſti. Rediges ad praxin, ſi ſemper de *uno hoc die*, quem auſpicaris, rectè tranſigendo ſis ſolicitus, tanquam hic unus ſit tota vita tua. Et quis eſt, qui *unum* ſaltem *diem* ſinè labe, & cum virtute tranſigere non poſſit? Atqui reipsâ tota vita tua dies unus eſt, nunc hodiernus, dein craſtinus, poſt tertius,&c. *Hodie* ergo rectè age, cras ſi vixeris, iterum ſic, ſic tertio, quartóque & ſequentibus, quos tibi Deus conceſſerit, diebus acturus. Ita unius diei vita bona, *menſes*,& *annos*, & *totam vitam* bonam efficiet. Auſpicare negotium, & cùm primùm evigilas, finge animabus poſſibilibus ingreſſum offerri in hanc vitam, iis conditionibus, auxiliis, & favoribus Dei,quibus te donatum invenis: finge etiam regreſſum in vitam offerri iis, quos hâc nocte in infernum præcipitavit Deus, dum te dormientem amanter cuſtodiebat, unáque conjice, quanto fervore, quàm ſanctè diem iſtum agerent; & mox ſuper te ipſum reflecte mentem, qui tot,tantiſque naturæ, & gratiæ donis ornatus nunc expergiſceris, tanquam primò ad vitam naſcereris; quíque ab æterna damnatione, ac etiam hujus vitæ plurimis ærumnis,in quas hac nocte milleni alii inciderunt, miſericordiſſimè es præſervatus, quod ſanè majus eſt, quàm ſi indè erutus fuiſſes. Quid non facias? A Gratias age ferventiſſimas Deo pro tantis favoribus, offer illi ex integro cor tuum ſuccenſum deſiderio ſincerè eidem ſaltem *hodie* ſerviendi: conſecra linguam, oculos, aures, manus, pedes ad omne obſequium. Et quia *ſervire, & obſequi Deo* conſiſtit in *declinare à malo* omni, & *facere bonum* juxta Dei beneplacitum, expende pauliſper, quæ occaſiones malorum occurrere poſſint, ut contra eas te munias: B quidve regulæ ſtatûs & officii tui (per quas Dei beneplacitum declaratur,) à te exigant hodie in horas ſingulas. Cognitis ſic quæ agenda ſunt, accinge te ad eadem ſecundùm G *numerum*, *pondus*, & *menſuram*, hoc eſt *accuratè*, & *exactè* exequenda,nam *maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Et ſive ſint D functiones ſacræ, ſive E labores manuum, ſive F corporis refectiones, G animíque diſtractiones, & ſenſuum oblectationes, ſive H afflictationes, & macerationes, qualeſcunque ſint, tu nec ob *delectabilitatem* gratas admitte, nec ob *difficultatem* ingratas omitte, ſed *omnes* ſic obire ſtude, ut in iis ſolum *Dei beneplacitum*, & obſequium ſpectes. Quam intentionem per ſingulas diei horas conaberis renovare. I digito veluti ſemper ſurſum erecto. K Sed memineris, quòd, quamvis multa proponas, ſinè gratia tamen Dei ſis velut infans viribus omnibus deſtitutus, & *nihil* poſſis conducens ad vitam æternam: gratiam verò è cœlo peten-

petendam eſſe. Quare ſæpe ſæpius inter operandum L invoca divinum auxilium verbis Eccleſiæ, *Deus in adjutorium meum intende*, ut debitè orem, ſacrificem, laborem, comedam, &c. Juvabit recolere ſtimulos adductos à conſideratione 4 uſque ad 15. vel omnes, ſi tempus patiatur, vel aliquos, quibus magìs excitari te ſentis. Specialiter verò M quòd mors à tergo immineat vibratura falcem, horâ, quâ non putas. N Quòd Angelus, & dæmon te, tuáque omnia diligenter obſervent. O Quòd ipſa Sanctiſſima Trinitas, & Sanctorum univerſitas te in ſtadio currentem ſpectent, & ad bene currendum animent P Quòd in conſpectu eorundem ſingula bona opera tua per ſanctos Angelos offerantur, & tanquam thymiama in odorem ſuavitatis aſcendant, &c Q *Exemplarem* cauſam, ſive prototypon, ad cujus imitationem omnes actiones tuas formes, habe Chriſtum Dominum. Hunc in ea ætate, in qua tu nunc es, menti tuæ depinge, & vide, quâ externâ corporis compoſitione, quâ internâ animi diſpoſitione egerit, vel acturus fuiſſet, quæ tibi hodie agenda ſunt; & fac ſimiliter, omnéſque actiones tuas conjunge actionibus illius, vel omnibus ſimul, vel uni ſelectæ, quæ ſimilis ſit illi, quam nunc exercendam ſuſcipis. R Cave autem vitium puerile, ne opus bene inchoatum tædio affectus *imperfectum* dimittas; ſtatuarios imitare, qui etiam durum lapidem vincunt, ut opus *perfectum* reddant. Denique univerſim obſerva, ut S *Deum* debitè colas, *fide*, *ſpe*, *charitate*, *religione*: T *Proximum* quemlibet *charitate* proſequaris, Chriſtum in eo reſpiciens: quæ verò ex *juſtitia* eidem teneris, ad amuſſim exſolvas. V *Te ipſum* prudenter gubernes *fortitudine* in adverſis, *temperantiâ* in proſperis. Et quodlibet opus ſic perficias, X quaſi ultimum foret, & poſt illud mox ſepulchro inferendus eſſes.

JACULATORIÆ.

Deus, Deus meus ad te de luce vigilo,
Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto. Sicut erat, &c.
Alleluia. (id eſt Laudate Deum) *Alleluia. Alleluia.*
Exaltabo manè miſericordiam tuam Domine: cantabo gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.

Oratio Eccleſiæ. *Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire feciſti, tuâ nos hodie ſalva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



Conuerti pe-
dés meos in
teſtimonia
tua.
Ibunt de
Virtute in
Virtutem.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P

CONSIDERATIO XXX.

De Examine conſcientiæ quotidiano.

INcaſſum Prætor fert leges, niſi in delinquentes inquirat, & obſervantiam urgeat. Tu quoque in te quotidie inquirere, & an quæ manè ſtatuiſti, compleveris, ſaltem veſperi expendere, & pœnas à te ipſe exigere debes. *Actor* ergo, & *Judex* tuus ipſe eſſe debes, qui *reus* es. Conceſſum eſt hoc tibi à Deo ingentis beneficii loco, ut cùm omne juſtitiæ tribunal effugere non liceat, nam *de omni verbo otioſo* reddent homines rationem, & *nil inultum* remanebit, ſubeas quàm clementiſſimum. Malefactor medius inter duos Judices, unum *ſeveriſſimum*, extraneum, à ſe offenſum; & alterum *benigniſſimum*, propinquum, ſibíque addictum, quantùm optaret ab iſto judicari, & puniri? En tu reus in plurimis non jam alteri, etiam propinquo, aut amico, ſed *tibi* ipſi, qui utique tui es ſtudioſiſſimus, judicandus relinqueris. Aut igitur A te ipſe dijudica: aut B Deus te ſeveriſſimè judicabit, quem offendiſti. Et *primò* ſiſte te in conſpectu Domini tui, & breviter expende C talenta ab eodem accepta, bona, inquam, naturæ, & gratiæ; communia, & particularia (juvabit obiter recolere, quæ exhibet imago 14.&28.) gratiáſque deſuper age utendo primâ jaculatoriâ infrà poſitâ, vel aliâ ſimili. *Secundò* invoca divinum auxilium ad cognoſcendos, & deteſtandos tot talentorum abuſus, peccata, & negligentias tuas: ſerviet ſecunda jaculatoria infrà poſita, uti & reliquæ pro reliquis punctis. *Tertiò* inquire, quid hodie cogitaveris, dixeris, egeris, contra Deum, te ipſum, & Proximum: diſcurrendo breviter per D præcepta decalogi, & E regulas ſtatûs, ac officii tui. Specialiter reflecte mentem ad ea, de quibus in nupera confeſſione ſacramentali te accusâſti, & vide, an non eadem iterum perpetraveris poſt tot propoſita. Quàm pauca, eheu! deprehendes ſeriò pro Deo, tuáque æterna ſalute à te geſta: atque utinam vel unicum ſinceræ virtutis actum in F librum vitæ referre poſſit Angelus Cuſtos tuus, cùm è contrario G dæmon vanè cogitatorum, dictorum, & factorum centurias fortè in horas ſingulas enumerare poſſit. Hinc *quartò* agnoſce te verè *ſervum nequam*, ipſéque reum pronuntia *injuriæ*, & contemptûs erga Dominum tuum præſentem, & ſpectantem, *perfidiæ* erga Principem, *ingratitudinis* erga Benefactorem, *impietatis* erga Parentem, *adulterii*, & divortii erga Sponſum animæ tuæ, denique *læſæ Majeſtatis* erga Deum Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorem, Glorificatorem tuum. H Simúlque ex animo deteſtare, proculca, & deprecare, quidquid in te vitioſum deprehendiſti. I Deteſtandi autem ſunt non ſolùm *actus* vitioſi, ſed & *habitus*; *paſſiones* item inordinatæ, pravæ naturæ *propenſiones*, & externæ *occaſiones* malorum: hæ enim peccatorum *radices* ſunt, quæ, niſi ſecurim admoveas, identidem actus malos, & *mortis* fructus protrudent. *Quintò* gratiam rogabis emendationis, firmúmque propoſitum concipies me-

melioris vitæ, ſive implantandæ animo K ſolidæ virtutis ferentis fructus *vitæ æternæ*. Atque ita prævertes horridam, quam alioquin juſtus Judex dictaturus erat ſententiam: *Auferte ab eo, quod habet & ligatis manibus, & pedibus projicite illum in tenebras exteriores.* Ut porro ordinatè procedas in emendatione vitæ, L oppugnare primò, & præcipuè debes illud *vitium*, quod maximè te retardat in via ad cœlum. Notum id tibi utique erit ex confeſſione propria, quam in foro pœnitentiæ facere conſuevisti. Serviet ad id examen, quod *particulare* dicitur, quódque iiſdem conſtat partibus, quibus *generale*, ſed circa unum ſolùm *particularem* defectum, quem præ aliis emendatum cupimus; vel etiam particularem virtutem, quam præ cæteris optamus, inſtituitur. Notandus autem eſt quotidie *numerus* actuum vitii, quod perſequimur, vel virtutis, quam quærimus, in chartula certa ad id præparata; & conferendus unus dies cum altero, ac etiam hebdomas cum hebdomade, ut appareat profectus, vel defectus. Eſt hoc *examen particulare* inſigne prorſus medium ad vitia extirpanda, & virtutes inſerendas, teſte quotidianâ experientiâ in iis, qui illud cordi habent Age de praxi hujus examinis cum Patre ſpirituali, qui mox eam te docebit, & gaudebis te eam addidiciſſe. Expugnato ſic uno vitio, alia perſequenda ſunt, donec ſaltem M omnia ea adimpleas, quæ ſub *peccato* præcipiuntur. N Tandem etiam quæ ad *perfectionem* conducunt, ſunt urgenda, & de virtute in virtutem gradatim aſcendendum, quod lineæ *creſcentes* denotant. Invigilabis autem diligenter in omnem victoriæ O occaſionem, etiam in rebus parvis (ſi parvum quid dicendum ſit, quo *Maximus DEUS* colitur, & beata *Æternitas* obtinetur;) experturus primum virtutis gradum difficillimum eſſe, ſecundum minùs difficilem, P tertium carere omni difficultate, & abundare conſolationibus de cœlo.

JACULATORIÆ.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo: quoniam bonus, quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, & miſericordia ejus magna eſt ſuper me.

Illumina Domine oculos meos, & da fontem lacrymarum, ut videam, & defleam omnes iniquitates meas tanquam indigniſſimas offenſiones infinitæ Majeſtatis, & Bonitatis tuæ.

Peccavi Domine, & verè deliqui, & malum coram te feci.

Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, &c.

Converte me Domine ad te, & convertar: & diligam te in toto corde meo: & cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Oratio Eccleſiæ. *Tua nos miſericordia Deus, & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget, & capaces novæ ſanctitatis efficiat. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*


Ipsum audite.
A
B
C
D
E
F
G
H
I

CONSIDERATIO XXXI.

De Præparatione ad mortem.

SAtis ſupérq; jam nôſti *certum* eſſe (velis nolis,) te moriturum; *incertum* quando? ubi? quomodo? Nôſti præterea à morte bona pendere æternam beatitatem, à morte mala æternam calamitatem *indiſpenſabiliter.* Vide nunc, an non omni curâ agendum ſit, quod Deus monet: A *Vigilate: Eſtote parati: Diſpone domui tuæ.* Cave igitur, per ſalutem tuam te obteſtor, imitari eos, B qui tametſi moriendum ſibi eſſe certò ſciant, multáque de vita altera, de cœli gaudiis, de inferorum cruciatibus legant, & audiant, ea tamen omnia *videntes non vident, audientes non intelligunt*; ſed vitiis ſuis auſcultantes, vel mortem longè poſitam ſibi mentiuntur, vel *beatè* ſe morituros credunt, etiam cùm *malè* vixerint: atque ita ſpatioſam perditionis viam hilariter decurrunt, donec tenentes tympanum, & citharam in puncto ad inferna deſcendant. Aliud à te C Virtus exigit, ut ſcilicet *intelligens, & noviſſima providens* ad tranſitum ex hoc mundo ſic te diſponas, ut Chriſto exemplari tuo in morte, æquè ac vita quàm proximè conformeris. D Depinge ergo in animo tuo, quemadmodum Chriſtus ſe ad mortem diſpoſuerit, ac mortuus ſit, & imitare. *Duplex* eſt diſpoſitio ad mortem, *remota*, & *proxima. Remota* eſt vita conformis doctrinæ Chriſti, ei, præcipuè, quam E in monte tradidit, ubi *beatos* pronunciavit *pauperes, mites, qui lugent, qui perſecutionem patiuntur: iſtis* enim *bene erit in extremis, & ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Nunquam (crede firmiter,) malè moritur, qui ſemper bene vixit. Non enim deſerit in morte fidelem in vita ſervum Divina Bonitas. Neq; contrarium evincunt exempla adferri ſolita, utpote quæ vel authentica non ſunt, vel falsò ſupponunt bene vixiſſe, aut malè mortuos, qui bene vivere, & malè mori videbantur. De *proxima* diſpoſitione ſic habe: ſi unquam crux tollenda, tunc vel maximè, cùm mors inſtat; eſt enim mors pœna, & *ſupplicium peccati.* F Tolle itaq; crucem tibi à Deo deſtinatam, & cum tot aliis crucis amatoribus ſequere G JESUM cruce longè graviori onuſtum, ac etiam H in cruce mortuum. Et primò diſpoſitis pro gloria Dei, & ſolatio animæ tuæ rebus temporalibus per teſtamentum (quod etiam cum ſanus es, laudabiliter conficis, potens ſemper mutare, ſi neceſſe ſit,) ad Deum te totus converte, & inſtanter ora, ac pete gratiã, & vires pro hoc agone neceſſarias, ut glorificetur Deus per mortem tuam, & per ſalutem animæ tuæ. Præit Chriſtus: *Pater venit hora* (finis temporis, initium æternitatis,) *clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Dein reſigna te plenè Divinæ voluntati, & ſicut hactenus vitam, & ſanitatem, ſic jam morbos, & mortem de manu amantiſſimi *Patris* promptus accepta; ſi natura reluctetur, dic cum Chriſto: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Tum ſanctiſſimis te muniri Sacramentis procura. Inſtitue exactam peccatorum confeſſionem

nem, eámq; (niſi quid obſtet,) *generalem* de gravioribus totius vitæ. Sume SS. Euchariſtiam tanquam veram animæ afflictæ refectionem, & viaticum confortans gradientem ad beatam æternitatem. Inungere oleo ſacro, quod confert gratiam ſanctificantem, tollit pœnas, & reliquias peccatorum; corroborat contra timorem, & amaritudinem mortis, occurrentéſq; in illo articulo tentationes. Tandem tempus omne, quod ad ultimum halitum ſupereſt, *virtutum exercitio* impende, *credendo* quidquid in ſymbolo fidei continetur, & ab Eccleſia Romana proponitur: *ſperando* firmiter vitam æternam, & efficacia auxilia ad illam ex infinita bonitate, & miſericordia Dei, ex ſanguine JESU Chriſti, ex patrocinio Sanctiſſimæ Matris Dei, & omnium Sanctorum: *amando, laudando, benedicendo* Deum amari, & laudari digniſſimum: *dolendo* de ingratitudine tua, déq; offenſo eodem amabiliſſimo Deo: *deprecando*, & *offerendo* in ſatisfactionem, quidquid pateris unitum paſſioni Chriſti, B. Virginis, & omnium Sanctorum: invocando eoſdem in auxilium juxta ea, quæ habentur in Cōmendatione animæ: *petendo* ſæpius Abſolutionem ſacramentalem præmiſsâ ſemper confeſſione, & dolore de uno ſaltem alterove peccato: *lucrando indulgentias* pro illo articulo conceſſas: *utendo aquâ benedictâ* cum aliquo tua peccata abluendi affectu: *ſignando* te ſigno S. Crucis: *oſculando* pedes crucifixi cum firmiſſima fiducia in Chriſto: *parcendo*, ſi læſus es: *petendo* veniam, ſi læſiſti: *gratias agendo* benefactoribus: *optando* omnibus agnitionem, amorem, & cultum Dei: unicè *deſiderando* eximi occaſionibus peccandi (vitâ iſtâ) videre, amare, laudare Divinam Majeſtatem, & Bonitatem, Chriſti Redemptoris ſanctiſſimam Humanitatem, exaltatam ſuper omnia Virginem Deiparam, Beatorum Angelorum Choros, & totam Sanctorum univerſitatem: *commendando* ad eum finem in manus JESU, MARIÆ ſpiritum tuum. Atque ita moriens requieſces in pace, & Chriſto convives.

JACULATORIÆ.

Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.

Facta eſt deſolata anima mea, & non eſt, qui conſoletur eam niſi tu Domine Deus meus.

Adjutor meus eſto, & fortitudo mea in tempore iſto tribulationis meæ: ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus meus.

In te credo: in te ſpero: te diligo, adoro, & benedico: de te offenſo doleo: te deprecor: te invoco: te concupiſco: in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem noſtrum carnem ſumere, & crucem ſubire feciſti: concede propitius, ut & patientiæ ipſius habere documenta, & reſurrectionis conſortia mereamur. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.*



32

CONSIDERATIO XXXII.

De Cultu Magnæ Dei Matris.

SIcut Deus *ſummè* colendus eſt, quia *ſummè bonus* & *dignus* eſt, ita unumquodque aliorum prout *magìs*, *minúsve* ad primam bonitatem, dignitatémque accedit, æſtimandum, & obſervandum eſt. A Ergo poſt Deum æſtima, ama, cole *ſuper omnia* Virginem, quam præſens exhibet effigies, quámq; ipſa univerſa cœleſtis curia poſt Deum maximè veneratur. Hæc eſt enim inæſtimabilis virtutum omnium theſaurus, immenſum totius perfectionis pelagus, cunctarum gratiarum divinarum profundiſſima abyſſus. *SS. Patres.* Hæc eſt honos totius creaturæ, & præcipuè generis noſtri, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. *S. Bernardus.* Quia unica poſt Deum eodem gaudens privilegio, quo Deus propter infinitatem naturæ ſuæ fruitur, ut ſit *Parens* ſimul, & *Virgo.* Hæc eſt, quæ omnes beatorum ſpirituum Hierarchias, & Sanctorum Ordines ſupergreſſa meritorum verticem ad ipſum Deitatis ſolium erexit. *S. Gregorius.* Hæc eſt, quâ minùs eſt, quidquid ſub Deo magnum eſt. S. *Anſelmus.* Hæc eſt, quæ eâ puritate nitebat, quâ major ſub Deo nequit intelligi. *Idem.* Quid moror? Hæc eſt, quæ *digna* fuit, ex qua *Filius Dei* naſceretur. *S. Ambroſius.* Et Eccleſia tota: Tu ſola fuiſti *digna* portare Regem cœlorum, & Dominum. Adeoque hæc eſt Sancta, ſancta, ſancta *MARIA*, *digniſſima Mater Dei.* Nihil excellentiùs, nihil ſublimiùs de ea dici poteſt. Nam quemadmodum juxta Theologos *unio hypoſtatica*, ſeu perſonalis in Chriſto Domino eſt principium, & radix omnis omnino perfectionis, & omnis doni gratiæ, & gloriæ, ſic *Maternitas Dei* in *MARIA* eſt principium, & radix coadunationis, & unionis, gratiarum, chariſmatum, & donorum ſupernaturalium; non eorum tantùm, quæ omnibus tum Angelis, tum hominibus à Creatore conceſſa ſunt: *Andreas Cornot.* ſed & omnium, quæ mens humana huic adornandæ Virgini excogitare poteſt, & fidei, rationi, vel authoritati non repugnant. *S. Auguſtinus.* Quia igitur *Mater Dei* eſt, ante omnes creaturas prima poſt Chriſtum à Deo prædeſtinata eſt: cœli terræque Regina; Angelorum, hominúmque Imperatrix eſt: immunis ab omni peccato, non ſolùm actuali, ſed & originali: ſemper libera per gratiam à peccandi potentia: ſinè fomite: ſinè paſſionum deordinatione. Quia *Mater Dei* eſt, ipſo inſtanti conceptionis perfecto rationis uſu donata eſt. Quia *Mater Dei* eſt, tantâ eodem inſtanti repleta eſt gratiâ, ut jam tunc perfectiori actu charitatis, quàm ardentiſſimus etiam Seraphinus Deum complecti potuerit, & verò etiam complexa ſit, veluti Suarez probat: operabatur enim ſecundùm omnem virtutem habitûs, & ſecundùm omnem intenſionem actualis gratiæ moventis. Quo operandi modo ad eam ſublimitatem gratiarum, & gloriæ evecta eſt, quò vel cogitatione noſtrâ pertingere nequimus. Nam per actum primum charitatis aucto in

duplum

duplum habitu, & gratiâ elicuit in 2. inſtanti actum pariter duplo perfectiorem primo: & in 3. inſtanti eâdem ratione actum duplo perfectiorem ſecundo, &c. adeo, ut ſi primus actus fuit perfectus ut 10. ſecundus fuerit ut 20. tertius ut 40. quartus ut 80. &c. ídq; continuè, & abſque interruptione ulla uſque ad vitæ finem per ſingula omnino inſtantia, non ſolùm in vigilia,ſed etiam in ſomno. Sicut enim in Adamo conſtituto in ſtatu innocentiæ ſomnus non impediebat uſum rationis, libertatem, & meritum, ſic nec in *Deipara*. Et minùs; quia hæc habuit fidem infuſam ſimilem Angelis, independentem à ſenſibus, & phantaſmatibus, utpote *Regina Angelorum*, adeoque ſinè materialium organorum fatigatione, & læſione ſemper *mentaliter* operari perfectè potuit Deum *agnoſcendo*, & *amando*. O verè admirandum, paritérque adorandum ob tantam gratiam, tantáque merita, cœli, terræque prodigium! Sed ampliùs aliquid, *infinitatem* ſcilicet quandam gratiarum,& perfectionum habuiſſe, & verò habere debuiſſe *MARIAM* Sancti affirmant Doctores, exigente id *Maternitate Dei*, Maternitate infinitæ cujuſdam excellentiæ, & dignitatis. De quo S. Bernardinum audi: Ignis ignem generat ex natura ſua: aſt, ut ferrum ignem generet, ipſum ferrum prius ſimile igni, ſeu *ignitum* fiat, atque in ignem transformetur, neceſſe eſt. Sic (ait iſte Sanctus,) Deus Deum generat ex natura ſua: ſed ut mulier Deum generet, ipſa quoque *ſimilis Deo*, ac *Divina* efficiatur oportet: cum verò hæc ſimilitudo fieri non potuerit per transformationem in Divinitatem, fieri debuit, & facta eſt per quandam *infinitatem* gratiarum, & donorum. Verè *S. Petrus Damianus*: Taceat, & contremiſcat omnis creatura, & tantam dignitatis im̃enſitatem vix audeat aſpicere. Atque hoc eſt primum caput, ex quo *æſtimare*,*admirari*,& *venerari* hanc Virginem teneris. Alterum caput concilians *amorem*,& *fiduciam* eſt,quòd hæc ipſa Digniſſima *MATER DEI* ſit etiam Advocata, Patrona, & Mater noſtra peccatorum, *tam pia*, *tam potens*, ut omnem ad eam converſum, & ab illa reſpectum impoſſibile ſit perire *S. Anſelmus*, Imò *nullus* eſt, qui ſalvus fiat, niſi per hanc Sanctiſſimam: *nemo* eſt, qui liberetur à malis, niſi per hanc puriſſimam: *nemo* cui cœleſte donum conferatur, niſi per hanc chariſſimam, *S. Germanus*. Reddit rationem *S. Bernardinus*, quia Chriſtus diſpenſationem ſui ſanguinis(in quo à malis liberamur,bonis dotamur,& ſalvamur,)*collocavit in MARIA*, *ſic enim voluit Deus honorari Matrem*. Quod quoniam omnibus cœleſtis Jeruſalem civibus notius eſt, quàm nobis,ipſi Sancti, quidquid à Deo impetrant, per *MARIAM* impetrant, *S. Antoninus*. B Eja ergo anima fidelis ad tam præcelſam Dei Genitricem, tuámque pariter miſericordiſſimam Matrem omnibus affectibus ſinè mora propera: ſacratas illi ædes viſita,tuáſque neceſſitates expone cum maxima fiducia. Piiſſima eſt (*Mater gratiæ*, *Mater miſericordiæ*) audiet. Potentiſſima eſt (*data eſt illi à Filio omnis poteſtas in cœlo*, & *in terrâ*, & *in manu ejus vita*, & *mors*) opem feret. C Si vitam novam, & meliorem ſeriò auſpicari tibi propoſitum eſt,ab hac Virgine vires expete, & ſuſpende illi cum S. Ignatio

tio Loyola arma vanitatis tuæ; tuáque pia deſideria commenda. Amplectere *MARIÆ* veſtigia, & devotiſſimâ ſupplicatione beatis illius pedibus advolvere: Tene, nec dimitte, donec benedixerit tibi. D Si à dæmone infeſtaris, ſi criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipis abſorberi triſtitiæ, & deſperationis abyſſo, cogita *MARIAM*, *MARIAM* invoca. E Si Filii Dei in hac vita gratiam & conſolationem ambis, ejuſdémq; aſpectu in vita altera beari quæris, Matrem honora: Dic: per te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per Te nos ſuſcipiat, qui per Te nos redemit. F Si demum corporalibus quoque premeris neceſſitatibus, ſi quibuſcunque jactaris fluctibus, & tempeſtatibus in hujus mundi æſtuantiſſimo oceano, reſpice ſtellam maris, voca *MARIAM*. Non eſt auditum à ſæculo quemquam ad ejus currentem præſidia, ejus implorantem auxilia, ejus poſtulantem ſuffragia eſſe derelictum. Atque ita totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus *MARIAM* venerare, quia *ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.* Sed ſic venerare, ſic lauda, ut profundè cordi tuo inſculptum habeas S. Ildephonſi monitum: *Magìs MARIÆ placet imitator devotus, quàm laudator otioſus.* Denique deſidera poſt hanc vitam videre *MARIAM* quia, quidquid poſt Deum pulchriùs, quidquid dulciùs, quidquid jucundiùs in Gloria eſt, hoc *MARIA*, hoc in *MARIA*, hoc per *MARIAM* eſt, *S. Bernardus.*

JACULATORIÆ.

BEata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum.

Omni die dic MARIÆ mea laudes anima. Ejus geſta, ejus feſta cole devotiſſima. Contemplare, & mirare ejus celſitudinem: dic felicem Genitricem, dic Beatam Virginem. Vide Hymnum S. Caſimiri.

Salve Regina, Mater miſericordiæ, Vita, Dulcedo, & Spes noſtra ſalve.

Ave Maris Stella, Dei *Mater alma, atq; ſemper Virgo, felix cœli porta.*

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.

Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris.

Oratio Eccleſiæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Glorioſæ Virginis Matris MARIÆ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparâſti, da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

ORA-

ORATIO AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Continens actus hyperduliæ debitæ eidem Virgini.

O Digniſſima *MATER DEI*, ô piiſſima Mater noſtra, peccatorum, cœli, terræque Imperatrix, Sancta *MARIA*, ego maximus peccator proſtratus ante thronum gratiæ, & miſericordiæ tuæ adoro *TE* cum profundiſſima reverentia, & quantâ poſſum cordis mei ſubmiſſione. Æſtimo, amo, laudo, extollo, & colo *TE* poſt Deũ ſuper omnia: quoniam *DIGNA*, *DIGNA*, *DIGNA* es: & ſic te æſtimari, amari, & coli voluntas eſt ejus, cui te in Matrem ſuam eligere, & per te nobis omnia largiri placuit, Altiſſimi. In *TE* poſt Deum maximam meam fiduciã colloco, ſperóq; tuo interveniente ſuffragio remiſſionem peccatorum meorum, auxilia efficacia ad ſanctè vivendum, ac moriendum, & vitam æternam poſſidendum. *TIBI* me devinctiſſimum agnoſco, & profiteor; gratiáſq; ago, & agam per totã æternitatem pro beneficiis, quæ per *TE* à Divina accepi Majeſtate, id eſt, omnibus. Méque, licet undequaq; indigniſſimum offero *MAIESTATI TUÆ* in ſervum, ac mancipium perpetuũ, demiſſiſſimè commendans in ſinum miſericordiæ tuæ animã meam, corpus meum, potentias meas, operationes meas, nunc, & in hora mortis meæ, ut ſemper dirigantur ſecundùm tuam tuíq; Filii ſanctiſſimam voluntatem. Specialiter autem ſupplex *TE* rogo, & obteſtor per pretioſiſſimum ſanguinem dilectiſſimi Filii tui, ut veram heroicarum virtutum tuarum imitationem, atque in iis perſeverantiam uſque ad mortem mihi impetrare digneris, quo pleniùs & perfectiùs Deo, Tibíque placere queam; ô Magna, & Præcelſa, ô Clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo *MARIA*. Amen.

SALUTATIO AD EANDEM BEATISSIMAM VIRGINEM.

Ave Filia Dei Patris.
Ave Mater Dei Filij.
Ave Sponſa Spiritûs Sancti.
Ave Templum totius Trinitatis.

Huic

Huic ſalutationi annexæ ſunt indulgentiæ plenariæ, toties, quoties dicitur, quemadmodùm Laureti in Sacriſtia legitur, ubi eadem ſalutatio aureis literis ſcripta viſitur. O quantus theſaurus redimendis diuturnis purgatorij pœnis! Sed adverte ad *plenarias* indulgentias conſequendas requiri non tantùm, ut ſis in ſtatu gratiæ, ſed etiam ut careas omni culpâ *veniali*. Cùm enim juxta Theologos Deus defactò nunquam remittat pœnam, niſi dimiſsâ culpâ, (quidquid ſit de eo, an poſſit remittere:) evidens eſt eum, qui remiſſionem *omnis pœnæ* (quæ eſt indulgentia plenaria,) conſequi deſiderat, debere carere *omni culpâ*. Conſultum itaque fuerit, præmittere ſemper brevem actum doloris ex motivo aliquo *univerſali* extendente ſe ad omnia, etiam *venialia* peccata totius vitæ præteritæ.

TRES GRADUS,
Quibus ad perfectionem vitæ Chriſtianæ contendendum eſt.

NEmo repentè fit ſummus (in ullo genere) commune pronuntiatum eſt. Per partes, & gradus rei cujuslibet perfectio obtinenda eſt, ſaltem ex uſu ordinario. Partes, & gradus, per quos ad vitæ Chriſtianæ perfectionem enitendum eſt, duæ ſunt univerſaliſſimæ, quæ verbis illis explicantur: *Declina à malo, & fac bonum.* In his ulteriùs explicandis, & ad magìs particularia deducendis non conveniunt, ſed variè admodùm loquuntur Aſcetæ. Communiter tamen *tres* ſtatuunt *gradus*, quos etiam *Vias purgativam*, *illuminativam*, *unitivam*, ſive *Status incipientium*, *proficientium*, & *perfectorum* nominant. Tres iſtos gradus perquàm bene (ut omnia alia) declarat in Theologia ſua Aſcetica eximius noſtri temporis Magiſter aſceſeos per analogiam ad artes, in quibus progreſſus ab *imperfectioribus* ad *perfectioria* fit hâc methodo: ut Artifex 1, opus artis ſuæ ſic efformet, ut *ſubſiſtat*, & *uſui ſit*; ſive ut non peccaverit contra ullam legem *fundamentalem* & *ſubſtantialem* artis. Veluti cùm pictura refert, quod imitatur, nec contra proportionem partium, aut ſitum, &c. peccatū eſt: aut cùm domus firma eſt, & idonea habitationi: cùm veſtis indui commodè poteſt, &c. 2. ut opus eouſq; perficiat, & abſolvat, quoad *omnes*, etiam *minores* artis leges adimpleverit. 3. ut convenientibus *elegantiis* Opus accuratè adornet, *faciléq;, promptè*, & *conſtanter* ſic operetur: quod excellentium Magiſtrorum eſt.

Pari modo in *Arte artium*, *Arte rectè vivendi* proceditur. Nam 1. ſic formanda eſt *vita* (opus artis) ut ſaltem aliqualiter honoretur is (Deus) propter quem vivitur, ſive ut nulla actio committatur, quâ Deus graviter offendatur, quod eſt ſervare leges *ſubſtantiales* rectè vivendi. Actiones igitur hujus primi gradûs (*incipientium*) ſunt, *commiſſa peccata gravia delere* per ſacramentum pœnitentiæ; & ſatisfactionem; quo

& culpam, & pœnam amoliamur ad tutiùs in gratia Dei perſiſtendum. *Cavere, quæ in futurum committi poſſunt gravia* reſiſtendo viriliter tentationibus inducentibus ad ea. *Fugere, & prævertere occaſiones peccatorum gravium* à loco, perſonis, negotiis, converſatione, & undecunque provenientes. *Deſtruere habitus vitioſos* per actus illis contrarios. *Refrænare paſſiones inordinatas, & malas inclinationes* ſaltem in tantùm, ut ad *mortiferum* peccatum non pertrahant. Denique *exercere actus virtutum* ad minùs illos, qui *graviter* ſunt præcepti. Dicitur hic gradus *purgatio*, ſive via *purgativa*, quia præcipuè id ſpectat, ut expurget, & vitet tum peccata *commiſſa*, tum quidquid ad *committenda* inducere poteſt.

2. Connitendum eſt eò, ut operationes *omnes* hominis ſint ad finem creationis tam exactæ, ut in iis nec *venialis* culpa, quæ malitiam contineat, admittatur: adeoque *omnis* omnino obligatio, *levis* æquè ac *gravis*, ſive omnia præcepta tam quoad *integritatem*, quàm quoad *ſubſtantiam* & *neceſſitatem* adimpleantur. Quod ſanè inſigne virtutum exercitiùm requirit, quandoquidem abſque iſto *omnis* obligatio erga Deum, erga nos ipſos, erga proximum expleri non poſſit. Vocatur hæc via *illuminativa*, eò quod *proficiens*; qui in ea verſatur, maximum ſtudium ponere debeat in acquirendo *lumine*, quo magìs magíſque cognoſcat, ſinceriúſque æſtimet DEUM, & creaturas; res, myſteriáque fidei: virtutes, & vitia; omnem omnino obligationem ſuam; rectitudinem, & obliquitatem quarumlibet actionum particularium: varia item motiva, eáque illuſtria, altiora, univerſaliora, quibus ſe ad *omnem* obligationem, totámque rectitudinem, & juſtitiam *affectu volendam*, & ipſo *opere præſtandam* excitet. Ad hunc gradum ſpectat *veniales culpas continuò expurgare* tum in Sacramento pœnitentiæ, tum extra illud per frequentatos actus doloris: *habituales inclinationes ad illicita omnino eradicare, naturales verò propenſiones ad malum, & paſſiones ita coërcere*, ut non ſolùm ad peccata etiam *venialia* directè non ſolicitent, vel efficaciter pertrahant, ſed ne quidem animam perturbent, aut ab ulteriori profectu ſpirituali impediant: ſunt enim triſtitia, diffidentia, puſillanimitas, timor, & cæteri ejuſmodi naturales affectus, pondus quoddam naturæ corruptæ, quod ſolet pacem tollere, languorem inducere, & efficere, ne toto impetu in profectum noſtrum ſpiritualem feramur. *Tollere alia undecunque provenientia impedimenta rectæ operationis, & occaſiones diſtortæ operationis*; vel animum contra eas ſic armare, ut ſecurus perſiſtat: *vincere omnes tentationes: & nullius boni creati amore, nullius mali timore, à veritate & juſtitia recedere.* Via hæc longè amplior eſt priore, ſed eò diuturnior etiam hic labor eſſe ſolet, quò plus comprehendit: per partes enim res agenda eſt, cùm ad omnia ſimultaneam attentionem, niſi valde confuſam imbecillitas noſtra non permittat, ſícq; jam hæ, jam illæ actiones perpoliendæ ſunt, donec ad omnes perfectè obeundas diſpoſiti ſimus.

3. Tandem peccatis, & vitiis detriumphatis, paſſionibus, & propen-

penſionibus malis domitis, plenâque animi tranquillitate, & æquabillitate per ſtudium virtutum obtentâ aſſurgendum eſt ſuper omnis *obligationis* adſtrictionem in *ultronei* obſequii divini excellentiam, *uníq*; *Deo* inhærendum, ſilente omni alterius rei deſiderio, & æſtimatione, quod *perfectorum* eſt. Ubi operationum menſura non eſt ampliùs *obligatio gravis*, vel etiam *levis* ſed *major Dei gloria*, ſive *majus beneplacitum Dei*, à quo ſolo moveamur ad agendum, & quiesſcendum, ita, ut ſubactis omnibus particularibus motivis licet bonis, una Dei gloria, & beneplacitum afficiat; cætera vim ſuam aliter non retineant, quàm prout in dicto *beneplacito* continentur. Qui eminentiſſimus operandi modus non abſorbet particularia bona, ſed auget, firmat, ſolidat *omnia in uno & unum in omnibus*. Ex quo apparet viam hanc *unitivam* denominari non ſolùm, quòd intimam cum Deo *unionem* quærat, verùm etiam, quòd omnium virtutum motiva in uno celſiſſimo (*divini amoris*) *jungat*. Operationes hujus gradus ſunt *omnem imperfectionem*, & *quamcumque averſionem à Deo fugere*: *animum purgare ab omni affectu ad inferioria*, *etiam bona, ſi quo modo melioribus obſiſtant* : *conceptum* D E I *ſublimiſſimum quærere* : *Deum in omnibus rebus creatis tanquam ſolem in radiis*, *fontem in rivulis contemplari* : *omnia ad Deum referre*, & *in Deo intueri* : *memoriam Dei continuam*, & *præſentiam habere* : *orare modo celſiſſimo* : *amare ardentiſſimè* : *ad nihil*, *niſi propter Deum affici* : Denique *unico* (ut dictum eſt) *ſanctiſſimæ*, *Dei voluntatis adimplendæ*, *Deíque à nobis*, & *aliis magìs magíſque glorificandi deſiderio moveri*, & *vivere*: cui deſiderio omnes omnium potentiarum operationes, & occupationes omnino reſpondere debent, ut res ſit integra.

Tres hos gradus, ſeu vias, aut ſtatus, tres illæ perſonæ denotant, quas in prima, & tertia imagine effigiatas cernis. Et *Reus* quidem à malefactis abſolvi ſupplicans ſtatum *incipientium*; *Mendicus* verò paupertate levari, & ditari cupiens ſtatum *proficientium*; *Sponſa* demum flagrantiſſimo ſponſi amore accenſa, ejuſdémque omnem nutum obſervans ſtatum *perfectorum* deſignat. Cæterùm tametſi hæc ſit ordinaria methodus ad perfectionis culmen aſſurgendi; Deus tamen his gradibus non adſtringitur, ſed nonnullos confeſtim ſimul purgat, ſimul ad omnem virtutem efformat, ſibíque intimè conjungit. Aliis ordinariam viam relinquit; alios per breviorem, longiorémque, planiorem aut difficiliorem ducit; pro infinitæ ſuæ ſapientiæ, & bonitatis incomprehenſibili placito. Semper tamen à primo gradu per ſecundum ad tertium aliquomodo tranſitur, etiam quando ex ſpecialiſſima Spiritûs Sancti gratia unico motu, ac impulſu, unóque velut momento res conficitur. Id nunc tibi, benevole Lector, proficuum erit, cognoſcere, quo gradu conſiſtas, quantùm ſuperâris, & quantùm reſtet.

VIR-

VIRTUTES
Hominis

Erga Deum.	Erga ſe ipſum.	Erga proximum.
Fides.	*Charitas propria ordinata.*	*Charitas.*
Spes.	*Fortitudo.*	*Juſtitia*
Charitas.	*Temperantia.*	
Religio.		

Virtutum moralium directiva eſt *Prudentia*, de qua S. Bernardus: *tolle prudentiam, & virtus erit vitium.* Eſt autem *Prudentia* virtus intellectûs practici, quâ propoſito nobis fine virtutis, media ad illum conſequendum per *conſultationem* inquirimus, & per *judicium* invenimus, & per *præceptum* efficax executioni mandamus. Vel ex S. Bernardo, & Auguſtino: eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum. Partes prudentiæ ſunt:

Diſcretio, quâ in his, quæ ad interiora ſpiritûs pertinent, vera à falſis, bona à malis, melioria à minùs bonis diſcernuntur, & his repudiatis, illa, quæ magìs conferunt, acceptantur.

Docilitas, quæ eſt applicatio mentis ſolicita, frequens, & ſubmiſſa ad documenta majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter ſuperbiam:

Solicitudo, ſeu vigilantia, quæ eſt celeritas mentis in rectè exequendis virtutum operibus, quæ per prudentiam ac diſcretionem apta obſequio Dei, & noſtro profectui judicata ſunt.

Circumſpectio, quæ eſt attentio mentis ſedula ad ea, quæ circumſtant bonum opus, quod aggerdimur, ut rectè, & ſecundùm præſcriptum virtutis fiat: & ad ea, quæ inſurgunt, & ſe ſe objiciunt, impedimenta; ne quod prudenter incipimus, ſiniſtrè ſuccedat. Et hæc pars circumſpectionis, quæ eſt ad impedimenta occurrentia, & imminentia, vocatur *Cautio.*

FIDES, eſt virtus intellectûs Theologica, quâ aſſentimur myſteriis revelatis propter authoritatem revelantis Dei.

Huc ſpectat:

Puritas cordis, ab omni ſcilicet *errore* (nam puritas cordis à *culpa* ſpectat ad Charitatem) quæ eſt cognitio, & æſtimatio recta Dei, & creaturarum.

Con-

Contemptus ſæculi, qui eſt abrenuntiatio tum exterior, quæ fit opere, tum interior, quæ fit voluntate omnium viſibilium, propter amorem Dei,

---

SPES eſt virtus Theologica, reſidens in voluntate, quâ ex gratia Dei, & propriis meritis certò ſperamus beatitudinem æternam. Certiſſima eſt ſpes noſtra ex parte Dei, eſto non ſit certa ex parte noſtra, qui poſſumus ponere obſtaculum *peccati*. Fundamenta certitudinis ſunt 1. Divina Omnipotentia, & Miſericordia, quâ Deus poteſt, ac vult nos ſalvare. 2. Promiſſio Dei juramento firmata. *Cantic. Zach. & Hebr. 6.* 3. Divinum, ac inæſtimabile donum proprii Filii. *Si enim pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Rom. 8. Unde S. Auguſt: *Plus eſt, quod fecit, dando Filium, quàm quod promiſit promittendo gloriam; ſi quod plus, tenemus, quod minus eſt, ſperamus.* 4. Merita ſanguinis Chriſti. *Habemus redemptionem per ſanguinem ejus.* Epheſ. 1. 5. Efficacia orationis ejus: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum*, Joan: 17. Interceſſio Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum. Spei accedit;

Fiducia, quæ eſt exſpectatio firma, quod Dominus in omnibus neceſſitatibus, tum temporalibus tum ſpiritualibus nos juvabit, & in tribulationibus non derelinquet.

Timor, qui eſt fuga peccati, ne per illud incurramus pœnam temporalem, aut æternam: ne perdamus gloriam, quam ſperamus: ne labamur in offenſam noſtri Creatoris. Duo primi actus ſunt timoris *ſervilis*, tertius eſt timoris *filialis*.

CHARITAS AD DEUM eſt virtus, quâ ipſum non ob timorem pœnæ, nec ob ſpem prœmii, ſed propter ſe ipſum, & ob ſuam bonitatem diligimus. Huc ſpectat:

Zelus honoris Dei, qui eſt intenſus veri amatoris affectus, quo diligentiſſimè quærit honorem Dei, & quidquid huic opponitur, fortiter, conſtantérque repellit.

Gaudium, quo lætamur, & exultamus de præſentia Dei in nobis per gratiam, & de infinitis perfectionibus, quæ in Deo ſunt.

RELIGIO eſt, quâ Deo, tanquam omnium Creatori; & Domino debitum cultum, & honorem exhibemus.

Ad hanc pertinet:

Pœnitentia, quâ peccata noſtra, ut ſunt Dei offenſa, deteſtamur, & ad eorum expiationem & ſatisfactionem venire contendimus.

Cultus

Cultus Sanctorum; utpote in quibus Deus ipſe colitur.	Chriſti Redemptoris reſpectu ſacræ ejus humanitatis. Deiparæ Virginis. Angelorum. Beatorum omnium.	per	Æſtimationem. Amorem. Venerationẽ, & honorem. Fiduciam. Gratitudinem. Imitationem.

CHARITAS PROPRIA ordinata eſt, quâ quis diligit ſeipſum tanquam rem Dei; vúltque ſibi bona, tum ſpiritualia, tum corporalia, in quantùm conducunt ad gloriam Dei, & ſuam æternam felicitatem.

FORTITUDO, eſt virtus moralis voluntatem, & appetitum iraſcibilem afficiens, quâ homo erga acerba, & terribilia rectè ſe habet, ita, ut neque pravè timendo in malum cadat, neque temerè audendo ab officio rationi conſentaneo deſciſcat. Vel breviùs: Eſt virtus animi, quâ labores, mortíſque pericula conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur. Duo ſunt ejus generalia officia. Alterum, & præcipuum, *mala ſuſtinere*, alterum verò *mala aggredi*. Huic annexæ ſunt:

Magnanimitas, quâ magna opera, & eximio honore digniſſima propter finem virtutis aggredimur; ipſum verò honorem nobis denegatum non ambimus, & oblatum contemnimus.

Securitas, quâ pacatè, & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem, anxietatémque errandi, præpoſterè agendi, & non aſſequendi finem cohibemus. Vocatur etiam *Fiducia*; quia magnanimus ex eo ſecurus eſt, quòd de divina miſericordia ſibi favente confidat.

Magnificentia, quâ ob Dei honorem in magnis, & utiliſſimis operibus magnos ſumptus facimus, & ingentem vim pecuniæ profundimus.

Patientia, quâ mala hujus ſæculi æquo animo ſuſtinemus, ita, ut, propter illa nec interiùs immoderatè turbemur, aut triſtemur, nec exteriùs aliquid minùs honeſtum, minúſve decorum admittamus.

Longanimitas, quâ per longum tempus moleſtias corporis, & mentis ariditates Suſtinemus; & malorum remedium, ac felicitatis adventum diu dilata æquo animo, ac firmâ ſpe à Domino expectamus. Eſt pars patientiæ, ſed quæ per *diuturnum tempus* mala ſuſtinet, & conſolationem *diu dilatam* expectat.

Perſeverantia, quâ ex ipſo affectu continuandi bonum, in bonis operibus uſque ad finem perſiſtimus, & moleſtiam ex rei laborioſæ diuturnitate provenientem ſuperamus.

Conſtantia, quâ quæcunque impedimenta virtutis vel ex ipſa humani cordis mobilitate, vel ex cauſis extrinſecis provenientia ſuperamus, & in bono ſtabiliter permanemus. Differt à perſeverantia, quod hæc diffi-

difficultati ex longitudine temporis, dimananti reſiſtit, illa verò reliqua extrinſeca impedimenta, & humani ingenii inſtabilitatem reſpicit.

TEMPERANTIA eſt virtus moralis, cujus præſidio cohibemus paſſiones appetitûs concupiſcibilis, quæ verſantur circa delectabilia ſenſuum, præcipuè guſtûs, & tactûs, ad quorum duorum ſenſuum functiones, aliorum ſenſuum actus ordinantur. Species temperantiæ, & partes ſunt:

Abſtinentia, quâ voluptatem in uſu ciborum ſitam refrænamus, & debitum modum in eorum ſumptione conſtituimus.

Sobrietas, quâ affectum, & uſum potionis, præcipuè inebriare valentis, moderamur.

Caſtitas, quâ ab impuris carnis voluptatibus abſtinemus, cujus principium eſt continentia. Ejus autem munus eſt, vehementi carnis concupiſcentiæ reſiſtere, & ab omni illicito membrorum uſu temperare. Aliter definiri poteſt, quod ſit virtus, quâ corpus à carnalis concupiſcentiæ pollutione cuſtoditur, & mens ab omni impura concupiſcentia ſervatur.

Virginitas, quâ quis nunquam corruptus, firmiter ſtatuit carnis ſuæ integritatem perpetuò ſervare, & ab impura voluptate corporis abſtinere. Vel ex S. Auguſt. Eſt in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio.

Pudicitia, quâ aſpectum, os, & manus continemus, ne in aliquid indecens, minuſvè honeſtum tendant, quod munditiæ caſtitatis officiat. Eſt ergo pars quædam caſtitatis, quæ ab indiciis, & actibus præviis venereorum avocat, quales ſunt: Impudici aſpectus, oſcula, & tactus, ut Divus Thomas ait.

Maceratio, quâ corpus noſtrum jejuniis, vigiliis, ciliciis; diſciplinis, abſtinentiâ cibi, & potûs, ſtationibus, genuflexionibus, humi cubationibus, & aliis hujuſmodi ſpontè caſtigamus, ut caſtitatem diligentiùs cuſtodiamus, & Chriſto pro nobis crucifixo conformemur.

Humilitas, quâ homo ex intima cognitione Majeſtatis Divinæ, & reverentia ad Deum, atque ex veriſſima notitia ſui, reprimit affectum excellentiæ ſibi non debitæ, deſpici ab aliis appetit, & (quod ad ſe pertinet) in infimo ſe loco conſtituit. Vel ex S. Bernardo: Humilitas eſt virtus, quâ quis veriſſimâ ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Ponitur autem humilitas pars *modeſtiæ*, quæ virtus quædam eſt *generalis*, cujus officium eſt moderari appetitiones, & delectationes mitiores his, quæ in cibis & potibus, & venereis, & in iræ effrænatione conſiſtunt. Reprimit enim Modeſtia appetitum *excellentiæ*, & ſic eſt Humilitas: appetitum *habendi*, & ſic eſt Paupertas: appetitum *ſciendi*, & ſic eſt Studioſitas: appetitum *loquendi*, & ſic eſt Taciturnitas: & *motus externos, ac corporis cultum*, & ſic retinet nomen Modeſtiæ.

Pau-

Paupertas, quâ moderamur appetitum poſſidendi res temporales, & ſolis neceſſariis ſecundùm rationem ſtatûs contenti ſumus; Paupertas verò Evangelica ex Alberto eſt, omnia propter Deum ſpontè, & libenter dimittere, nihil præter ſolam neceſſitatem poſſidere, eâdem neceſſitate ſe indignum ſentire, & etiam ipſâ neceſſitate quandoque propter Deum carere.

Studioſitas, quâ immoderatum appetitum ſciendi comprimimus, & animum in diſcendis neceſſariis incuriosum, & negligentem ad moderatum ſtudium ſcientiarum accendimus.

Taciturnitas, quâ linguam moderamur, & immoderatum loquendi appetitum cohibemus; ne os ilicita, aut inutilia proferat; & ne vera, & utilia ſinè debito modo, aut extra conveniens tempus edicat.

Modeſtia, quæ externos motus, & geſtus temperat corporis; quæ ludis, & jocis rationis moderationem adhibet, (& ſic vocatur *Eutrapelia*) & quæ cultui, & apparatui perſonæ debitum modum imponit.

CHARITAS ERGA PROXIMUM eſt virtus, quâ omnes proximos, tum amicos, tum inimicos diligimus propter Deum. Diligere autem eos *propter Deum*, eſt diligere, quatenus participant in ſe aliquid Dei; & in Deo ſunt; & ut ad Dei fruitionem per gratiam & gloriam pertingant; & tandem, quia Deus vult & præcipit eos amari.

Huc pertinent:

Zelus animarum, qui eſt deſiderium fervens, & efficax, ortum ex amore Dei avocandi proximum à malo, & perducendi ad finem ſuum ultimum, qui eſt Deus.

Miſericordia eſt, quâ dolemus, & triſtamur de miſeria proximi, quam, ſi commodè poſſumus, à fratre depellimus, & ei per auxilium ſpirituale, aut temporale ſubvenimus. Vel ex S, Auguſt: eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, quâ utique, ſi poſſumus, ſubvenire compellimur.

Beneficentia, quæ eſt bonus affectus voluntatis, operi conjunctus, quo propter Deum in omnes, quos poſſumus, beneficia conferimus.

Liberalitas, quâ homo immoderatum amorem pecuniarum, & aliorum bonorum ſuorum moderatur, eáque alacriter in propriam, ac proximorum utilitatem, atque in his, quæ honoris Dei ſunt, aliis elargitur.

JUSTITIA eſt virtus voluntatis, tribuens unicuíque, quod ſuum eſt.

Quatuor ſunt ejus ſpecies: nempe Legalis, Æquitas, Diſtributiva, & Commutativa. *Legalis* eſt, quæ reſpicit juſtum, & æquum reipublicæ, aut bono communi conducibile; quæ tam eſt in Principibus, & Prælatis, prout juſta decernunt, & gubernationi ſe applicant, quàm in ſubditis, prout ſe juſto propter commune bonum accommodant. *Æquitas*, ſive

ſive *Epicheia* eſt, quæ perficit juſtitiam legalem, quatenus in abſentia legislatorum, & prælatorum interpretatur leges in extraordinariis eventibus, non ſecundùm verba legum, ſed ſecundùm mentem legislatoris. Juſtitia *diſtrubutiva* eſt, quâ diſtribuuntur bona communia inter perſonas reipublicæ, aut communitatis, verſatâ proportione bonorum ad merita. *Commutativa* eſt, quâ particulares cives mutuò in commutationibus, & contractibus æquitatem cuſtodiunt.

Ad Juſtitiam revocantur:

Pietas, quâ patriæ, parentibus, fratribus, & aliis ſanguine conjunctis cultum, & officium tribuimus. Nomine cultûs honorem, & reverentiam; nomine verò officii obſequium, ſubventionem, & defenſionem intelligimus, Quæ virtus non in parentibus carnalibus ſe continet, ſed ad ſpirituales parentes, qui nos in Chriſto genuerunt, ſe extendit: imò erga illos pulchriùs elucet. Qui etiam ex pietate filiis ſuis ſpiritualibus conſulunt, & eorum profectum provehunt, & bonam exiſtimationem tuentur.

Obſervantia, quâ majores ætate, aut dignitate, aut ſapientiâ, aut excellenti virtute, debito honore dignamur, aut officiis indulgemus.

Obedientia, quâ exequimur juſſa, & præcepta majorum, quia præcepta ſunt.

Gratitudo, quâ beneficia à proximis accepta cognoſcimus, laudamus, & datâ opportunitate, nec negatâ poſſibilitate remunerare decernimus.

Veritas, ſive *Veracitas*, quâ verbis, aut ſignis, & quando, & quomodo oportet, manifeſtamus res ad nos, aut ad alios pertinentes, prout in ſe ſunt.

Simplicitas, quâ quis hypocriſim, duplicitatem, & multiplicitatem vitat: ſeu quâ exteriùs talem ſe verbis, & factis exhibet, qualis interiùs eſt, & quâ ab omni aſtutia, & dolo, & fraude, & non neceſſaria actionum multitudine alienus eſt.

Amicitia, quæ eſt mutua duorum benevolentia, in virtute fundata, & bonorum communicationi conjuncta. Amicitiæ pars eſt *Affabilitas*, *Comitas*, quâ quis convenienter ſe habet ad alios homines in communi converſatione, tum in dictis, tum in factis.

Manſuetudo, quâ iram adverſùs eos, qui nos injuria afficiunt, comprimimus, & moderamur.

Clementia, quâ ad moderatè puniendum miteſcimus, & pœnas delinquentibus infligendas moderamus.

Vide R. P. Jacobum Alvarez de Paz apud quem præter definitiones etiam particularia incitamenta ad quamlibet virtutem, ſingularúmq; virtutum actiones, & brevem pro iiſdem ad Deum precationem invenies.

Modus

Modus facilis bene meditandi.

M*Editatio*, prout ab Aſcetis ſumitur, conſtat actibus non ſolùm intellectûs, ſed etiam voluntatis, & conſiſtit in eo, quòd intellectus ſolidas veritates de rebus hujus, & alterius vitæ conquirat, & expendat, quibus ad veram Dei, creaturarúmq; cognitionem, & æſtimationem pertingat: voluntas verò ad conformes veræ æſtimationi affectus excitetur, bonúmque proſequatur, ac malum fugiat, De hac Magiſtri rerum ſpiritualium ſic pronunciant, quòd, quemadmodùm ſumptio cibi corpori non prodeſt, niſi accedat digeſtio; ſic & cognitio myſteriorum fidei noſtræ parùm conferat animæ, niſi accedat meditatio, quâ res cognitæ quodammodò digerantur, atque ita digeſtæ in animam tranſeant, eámque reficiant, nutriant, & corroborent ad omnes operationes vitæ ſpiritualis expeditè exercendas.

Praxes meditandi variæ traduntur: inter alias facilis, & utilis videtur, quæ ſequitur.

Primò attentè expendes, & bene apprehendes ſolidam aliquam (potiſſimùm fidei) veritatem. Qualis ex: gr: eſt: *Quid* (nihil) *prodeſt homini*, *ſi mundum univerſum lucretur* (lucro ſive temporali, ſive ſpirituali) *animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*. Adhibebis etiam rationes, ſimilitudines, exempla, &c. quæ veritatem illam illuſtrent nam uti Richardus de S. Victore ait: Rectiſſimè nitimur ſemper, in quantum fas eſt, vel fieri poteſt, comprehendere ratione, quod tenemus ex fide. Non eſt tamen anxiè inhærendum his inveniendis, ne meditatio in ſtudiũ tranſeat, & plùs temporis conceptibus, quàm affectibus impendatur: ſufficiet ultimò, etſi aliud non occurrat, actum *vivæ fidei* elicere, credendo rem ita ſe habere, eò quòd Deus, qui nec falli poteſt, nec fallere, ſic revelaverit. Veritates ejuſmodi paſſim ſuppeditant libri ſpirituales, præcipuè autem quatuor Evangelia, quæ Chriſti Domini vitam, & doctrinam continent; aliique ſacræ Scripturæ libri, in quibus leges, judicia, teſtimonia Dei, myſteria fidei, hiſtoria Eccleſiæ Dei, & gubernationis ejus: facta item plurimorum hominum ſanctorum, & malorum ad nos erudiendos proponuntur.

Secundò deduces concluſiones practicas, ſive conſiderabis, quid ſuppoſitâ eâ veritate omittendum, vel agendum tibi ſit circa Deum, vel te ipſum, vel proximum. Simul diſpicies, an id ipſum hactenus omiſeris, vel egeris. Notandum, quòd cum ex eodem principio, ſeu veritate variæ poſſint deduci concluſiones practicæ, tu primò, & præcipuè eas debeas deducere, quæ ſtatui, & officio tuo conformes ſunt, & quibus maximè opus habes; ita, ut ſi ſuperbiâ laboras, humilitatem ex propoſita veritate diſcere ſtudeas; ſi gulâ, temperantiam; ſi iracundiâ, manſuetudinem, &c.

Tertiò elicies affectus juxta rei exigentiam: & ſi quidem deprehenderis te feciſſe, vel omiſiſſe, quod agere, aut omittere debuiſti, dabis

bis laudem, & gloriam Deo, cujus ſolius gratiæ id debes: petes progreſſum, & perſeverantiam cum diffidentia tui, & fiducia in Deo. Si verò deprehenderis te non feciſſe, quod debuiſti, dolebis de neglecto merito, ſatisfactione, impetratione, de reatu culpæ, & pœnæ: potiſſimùm autem de offenſo Deo digniſſimo omni reverentiâ, amore, & cultu: deprecaberis, propones meliora, offeres animam, & corpus cum omnibus potentiis ſuis ad ſatisfaciendum Deo pro negligentiis vitæ præteritæ, & ad reparandam gloriam ejuſdem in te, & aliis impoſterum, &c. Vide Alphabetum affectuum infrà.

Quartò advertes ad praxes, ſeu actiones particulares, & occaſiones, quibus propoſita tua modò facta exequi, vitámque & mores externos affectibus internis conformare poſſis, & quidem hac ipsâ die; præcipuus enim fructus quotidianæ meditationis eſſe debet, ut præſentem diem bene, & conformiter, vocationi tuæ tranſigas.

Quintò tandem ad Deum, & Cœlites converſus ea proloquêris, quæ mens, & affectus ſuggeret, (quod *colloquium* vocatur,) gratiámque opere exequendi, quæ nunc cognoviſti, & propoſuſti, poſtulabis per infinitam Bonitatem, & Miſericordiam Dei, per Sanguinem JESU Chriſti, per glorioſiſſima merita Digniſſimæ Matris Dei, & omnium Sanctorum. Dic Pater noſter, vel Anima Chriſti, vel Ave Maria, aut aliud pro devotione tua.

Hæc quoad ſubſtantiam Meditationis. De loco, & tempore, de compoſitione corporis, adjumentis, impedimentis, aliiſque, quæ ad feliciorem meditationis ſucceſſum faciunt, accuratè, & plenè agit libellus Exercitiorum S. Ignatii, quem vide.

Nota, ſi tempus aſſignatum meditationi non ſit elapſum, progredere ad aliam, ac etiam tertiam veritatem. Imò uſus nunc penè obtinuit, ut materia meditanda in plura puncta dividatur. Sunt tamen Aſcetæ, qui uni tantùm rei inhærent, putántque tempori unius meditationis ſufficere: & dubitari vix poteſt utiliùs eſſe, unum ſedulò expendere, & æſtimare, quàm plura velle tranſcurrere. Sed hìc cuique agendum, quod ſibi proficuum experitur.

Oratio meditationi præmittenda.

IMmenſa Majeſtas, Dominus meus, & Deus meus, non ſum dignus attollere oculos meos in cœlum præ multitudine iniquitatum mearum. Loquar tamen pulvis, & cinis ad te Dominum meum, quoniam ſuavis es, & multæ miſericordiæ; & invocabo nomen tuum, & meditabor in mandatis tuis, ut diſcam, & cuſtodiam omnes juſtificationes tuas. O Pater! Fili, Spiritus Sancte, illumina *intellectum* meum, ut quæ ad procurandam majorem gloriam tuam, ſalutem, & perfectionem propriam, & alienam agenda, vel omittenda ſunt, intelligam. Excita *voluntatem* meam, ut antè actæ vitæ culpas, & negligentias omnes toto

corde deteſter, & quæ agenda cognovero, efficaciter deſiderem, téque Deum meum amem ſuper omnia. Adjuva *potentias omnes* ad agendum, & patiendum fortiter, & conſtanter ad imitationem Chriſti Ducis mei

Quidquid Quomodo Quia	Tibi Deo Optimo Maximo placet. Amen.

ALPHABETUM AFFECTUUM,

Quibus in omni ferè meditatione locus eſſe poteſt.

ADmirari, *Adorare*, *Amare* Dei Sapientiam, Miſericordiam, Juſtitiam, Potentiam, Providentiam, & Diſpoſitionem, (ſi vitam Chriſti meditaris, ejuſdem Manſuetudinem, Humilitatem, Patientiam, Paupertatem, &c.) elucentem in eo, de quo meditaris.

Benignum fieri in omnes, id eſt, bene velle, & benefacere omnibus. Præcipuè, & primariò volenda, & procuranda ſunt bona animæ, ac ſolida (fides, ſpes, aliæque virtutes) quibus ad æternam felicitatem pervenitur, Deinde, & ſecundariò bona corporis; & caduca, quatenus ad eandem felicitatem conferunt, non aliter. In præſenti ſpecialiter optanda omnibus cognitio veritatis, quam ruminas, & operatio eidem conformis.

Credere vivâ fide, quæ credenda in meditatione occurrunt, non mortuo quodam, aut languido aſſenſu: & captivare intellectum in obſequium fidei, repugnantibus quantumcunque humanis perſuaſionibus: ſunt enim res à Deo revelatæ certiores, quàm quæcunque omnium ſcientiarum objecta.

Dolere, & deteſtari cum firmo propoſito emendationis, quòd veritati cognitæ te non conformaveris in operando, quam tamen credis eſſe certiſſimam.

Erigere animum contra difficultates occurrentes, ac etiam contra illecebras, retrahentes ab operationibus conformibus cognitæ veritati.

Fidere non in propriis viribus (quarum infirmitatem in dies, imò horas ſingulas experiris) ſed in Bonitate, & Miſericordia Dei, in ſanguine JESU Chriſti, in interceſſione, & meritis Magnæ Dei Matris, & omnium Sanctorum, quibus omnibus curæ eſt profectus, & ſalus tua.

Gratias agere Deo pro lumine de cœlo delapſo, ſive veritate cognita; & pro impulſu, ſuavíque tractione voluntatis ad bonum, præparatóque ſemper concurſu ad conformes cœleſti lumini operationes.

Humiliari ob ingratitudinem maximam, tantámque incuriam, & ſocordiam in divino ſervitio, & negotio æternitatis, inter tot cœleſtes illuſtrationes, impulſus, aliáque interna, & externa auxilia.

Invo-

Invocare Sanctos, qui veritati cognitæ inſigniter ipſo opere ſe ſe conformârunt, ut gratiam efficacem impetrent ad ſeſe imitandum.

Laudare corde, & ore Deum, in ſe, & omnibus operibus ſuis, quóniam bonus, & laudabilis nimis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: Et quia impares ſumus ſufficienter laudando Deo, invocare SS. Humanitatem Chriſti, B. V. SS. Angelos, & omnes Sanctos, ut defectum ſuppleant.

Mortificare quidquid aliquomodo vivit vitâ amoris proprii: & 1. quidem *Corpus*, ne rationales operationes animæ (cujus eſt inſtrumentum) impediat, aut retardet. 2. *Senſus*, ne in objecta ſua propter delectationem, ſed propter neceſſitatem corporis, & animæ emolumentum ferantur. 3. *Paſſiones appetitûs ſenſitivi*, ut non niſi ex imperio rationis ſurgant, quantùm quidem fieri poteſt. 4. *Memoriam*, ne noxiis, & impertinentibus ad ſalutem inhæreat. 5. *Intellectum*, ne voluntati proponat, quod ad malum, & imperfectionem inducat. 6. *Voluntatem*, ne motus corruptæ naturæ admittat, ſed gratiæ. 7. Tandem ipſum *ſpiritum*, qui eſt pars ſuperior animæ, & dicitur *Mens informata, & elevata fide, & gratiâ.* Debet enim anima purificari non ſolùm ab omni *inordinato* motu, ſed etiam ab actibus *bonis* & *regulatis*, in quantum ſunt *proprii*: ita ut *aliud*, quod bonum & ſanctum eſt, atque *aliter* non velit, quàm *quod*, & *quia* vult Deus.

Nihili te facere, imò infra nihilum deprimere; ſi enim *meliùs* erat homini illi (Judæ peccatori) ſi natus non fuiſſet, *peiùs* utique eſt peccatorem; quàm nihil eſſe. Vi hujus affectûs minùs conquereris de defectu rerum, quem pateris, déque illatis injuriis, quàm ſi eæ eveniſſent homini, qui nunquam fuit, & nunquam erit: nam de illo, qui *nihil* eſt, & quem *nihili* facis, ſolicitus non es.

Offerre te, tuáque omnia in holocauſtum Deo, à quo accepiſti, quidquid es, potes, & habes.

Pati libenter, & fortiter adverſa, ſpecialiter annexa ſtatui, & officio præſenti, in quo es: quæ ſunt crux illa, quam quotidie tolli vult Chriſtus à ſequentibus ſe.

Quieſcere, & æquo animo eſſe in quibuſcunque inexpectatis eventibus, qui divinâ providentiâ contingunt abſque culpa tua.

Reſignare te per omnia, etiam in futurum, integerrimè eidem divinæ providentiæ; cooperari, interim Deo, adhibendo media convenientia ad fines tibi à Deo præfixos.

Solicitum reddi de perſeverantia in bono uſque *in finem*, adeoque ſemper ſatagere, per bona opera vocationem, & electionem tuam certam facere. Falleris enim, quiſquis *ſecurum* te credis. Quantumcunque tibi perfectus videaris, tam certum eſt adhuc te æternùm perire poſſe, quàm certum eſt te circumferre cupiditates *corruptæ* naturæ tuæ, quas niſi continuè oppugnes, & ita oppugnes, ut vincas, & ſubjuges, perire neceſſe eſt.

Timere Dei offenſam, & iram: atque idcirco ſemper averſari, quidquid vel minimam ſpeciem mali habet.

Uniri Deo magìs, magíſque intellectu, & voluntate, apprehendendo, æſtimando & amando magìs, magíſque Majeſtatem, & Bonitatem ejus.

Zelare majorem Gloriam Dei in te, & aliis: hoc eſt, vehementer deſiderare, ut pro illatis offenſis propriis, & alienis Deo ſatisfiat, ejúſque omne beneplacitum deinceps à nobis, & aliis perfectè ſemper adimpleatur.

Formulas horum, & plurium aliorum, quos Spiritus Sanctus ſuggeret, affectuum, ipſe tu tibi pro genio tuo conquires ex pſalmis, aliíſque Sacræ Scripturæ libris, & obviis libellis precatoriis.

Amuletum Caſtimoniæ.

HOrret animus, quoties in memoriam redit, quod pronuntiare, & ſcribere non dubitârunt probati, quos manibus tuis volvis, Authores: ſi centeni juvenes Orco addicantur, è centenis iſtis nonaginta novem damnari ob *vitium carnis*, centeſimum demum ob aliam aliquam graviorem noxam. Et, ſi univerſam damnatorum maſſam in 4. partes diviſam ſpectes, tres partes ob idem *carnis vitium*, æternis ignibus ardere. Tam ſcilicet longè, latéque peſtilentiſſima hæc lues graſſatur, & orbem inficit penè totum. Non divitum duntaxat aulas, ſed & pauperum tuguria ſubit luxuria; non plumis tantùm inhæret, ſed & paleis; non ætatem ſolùm florentiorem, ſed quandoque etiam effætam infeſtat ſenectutem. Hauritur hoc venenum à teneris; ſæpe quidem nocenter, malitiâ præveniente ætatem; ſæpius tamen innocenter, vel juvenili curioſitate, vel pravorum ductu, & exemplo. Ubi lumen aliquod ſuboritur, inſinuant ſe dubia de mali gravitate; cum dubiis interrogandi verecundia; cum hac irritæ per annos confeſſiones, & ſacrilegia. Si tandem urgente per continuos remorſus conſcientiâ confeſſio ſeria decernatur, quæritur Confeſſarius non is, qui medicinam porrigat, ſed qui ſacramentalis abſolutionis formulam ſolùm pronunciet. Aditur itaque vel *ignotus*, quem nec videas, nec videaris ampliùs: vel *mutus*, qui à vitio te tuo pro debito ſuo dehortari, & ad oppoſitã virtutem animare aut neſciat, aut nolit. Atque ita propriâ infirmitate gravatus, & ſpiritualis Medici ope deſtitutus relaberis in aſſueta, & inducis ſuper te indignationem, & iram Dei viventis, luiturus pœnas, cùm minimè putaveris. Ut aliqua ſaltem ad manum habeas, quibus te ab hoc vitio immunem ſervare, vel ab eo liberare poſſis, ſequentia documenta obſerva.

Primum eſto, ſeria, & ſanctè obſtinata voluntas puritatem conſervandi. Niſi enim generoſam hanc voluntatem excitaveris, inter tot domeſticas, externáſque tentationes nunquam conſiſtes, imò etiam cum hac, difficulter. Hanc autem voluntatem excitare poteris conſiderata pul-

pulchritudine hujus virtutis, prœmio, & ſpeciali corollâ, quæ illi à Deo promittitur : exemplis Chriſti, B. Virginis, tot ſanctorum juvenum, & Virginum, qui etiam graviſſimè, & diutiſſimè tentati retulêre victorias : fœditate oppoſiti vitii, quod & Deo, & hominibus eſt execrabile ; quod corporis ſanitatem offendit, & enervat ; depravat mores ; bonam famam denigrat ; ingenium reddit obtuſum & ſtupidum, extinguit guſtum rerum cœleſtium, & ad ſalutem pertinentium ; tollit applicationem ad omnem rem ſeriam ; inquietat conſcientiam timore divinæ vindictæ, & animam continuo periculo æternæ damnationis obiicit.

2. Eſto, orare Deum continuè, & ſolicitè pro virtute continentiæ; (*Ure igne S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus*) nam tametſi nullum ſit donum, quod à Deo non deſcendat, ſpecialiter tamen de iſto legis Sap. 8. *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det.* Dat verò Deus dona ſua *petentibus ſe* Luc. 11. Orare autem oportet cum profundiſſima humilitate, & omnimoda diffidentia ſui, ac fiducia in Deo, cùm liquidò quotidianâ experientiâ conſtet hominem ſibi relictum nimis (eheu!) infirmum eſſe, & fragilem ; atque ex ſe non niſi putidos, Deóque abominabiles fructus proferre. Et *tam diu*, inquit Caſſianus, *vitium carnis animum impugnare neceſſe eſt, donec ſe bellum gerere ſupra vires ſuas agnoſcat*, adeoque in ſolo Deo omnem ſpem ſuam collocet.

3. Inviſere, adorare, invocare, maximè verò crebrò ſumere SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quod peccati fomitem mitigat, pravos carnis motus reprimit, ardorem libidinis ſicut aqua ignem, ut Cyrillus loquitur, reſtinguit, ideóque *Frumentum electorum*, & *Vinum germinans virgines* dicitur.

4. Meminiſſe Paſſionis, & mortis Chriſti : Quot vides vulnera, tot ora cogita, quibus à carnis immuditia ad ſpiritûs puritatem te Chriſtus obteſtatur. Dic cum S. Bernardo : *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?*

5. Matrem Dei Virginem puriſſimam pro puritate obtinenda ſpecialiter colere quotidiano roſario, vel litaniis, vel hymno aliquo, aut officio de ejus immaculata Conceptione, aut ſabbathino jejunio, &c. Similiter certò devotionis genere proſequi Divum Joſephum, Divum Joannem, alióſque, qui hâc virtute claruerunt, Sanctos. Reliquias Sanctorum è collo geſtare, & manè ac veſperi pio oſculo cum jaculatoria aliqua prece invocante venerari. Miros hinc effectus hiſtoriæ paſſim referunt. Et certè quemadmodum fur audito clamore, ſic dœmon auditâ cœlitum invocatione in fugam agitur S. Bernardo teſte.

6. Memorari noviſſima, & altè inſpicere abyſſum Æternitatis. Tam efficax eſt hoc remedium, ut Spiritus Sanctus cum magna emphaſi & diſertè promittat, *in æternum non peccaturum*, qui noviſſima memoratur. Legere juvat Dionyſium Carthuſianum de noviſſimis, vel alium

de

de his tractantem. Huc ſpectat fixè contemplari cadavera, vel calvas, ac oſſa mortuorum. Fœdum cadaver formoſiſſimæ Iſabellæ Auguſtæ S. Franciſco Borgiæ Gandiæ Duci horrorem peccati pariter, & mundi incuſſit. Ut facilis ſit praxis hujus ſexti remedii, confice coronam per modum brevis roſarii ſic: Ad crucem dic: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Ad ſingula majora grana: *O Æternitas! O Æternitas! O Æternitas!* Ad ſingula minora grana: *! O Mors! O judicium! O inferi! O Cœlum!* Tandem in reditu ad crucem dic iterum: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Fuêre Juvenes, qui in profundum peccatorum venerant, & annis compluribus iſti luto inhæſerant: adhibito tandem quotidie hocce præſidio brevi emerſerunt, atque dixerunt *impoſſibile* ſibi eſſe peccare.

Fuit, qui quatuor Conſiliarios, & Præſidem conſulebat, quoties peccandi occaſio pelliciebat. Conſiliarii erant *quatuor noviſſima*, & Præſes, *Æternitas*. Hoccine egero, inquit, *O Mors*, quid ſentis? *Pœnitebit*, ait. Idémque Conſiliarii reliqui rogati uno ore dixêre.

Utere hoc præſidio etiam in rebus aliis, majoris præſertim momenti, omittendis, ſuſcipiendis, immutandis, ubi periculum ſit errandi, vel peccandi. Ita plurima hominum millia auxilium ſensêre certiſſimum, dum in ſtatu vitæ eligendo cogitârunt, quid optâſſent *in Morte, in judicio* elegiſſe.

7. Fugere occaſiones omnes, quæ quocunque modo illicio eſſe poſſunt; non tantùm *proximas*, quod præcepto gravi teneris, ſed etiam *remotas*, quod eſt omnium ſapientûm conſilium. Nam cæteris quidem vitiis *fortiter reſiſtendum* eſſe docet Petrus; hoc verò *fugiendum* eſſe monet Paulus 1. Cor. 6. Et univerſim, omnium Magiſtrorum Spiritûs ſententia eſt, ex S. Auguſtino deprompta: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.* Inter occaſiones *vitii carnis* venit 1. *Otium*, pulvinar vitiorum omnium. Laborantem aiebant olim Ægypti Anachoretæ dæmon unicus, otioſum tentant mille. 2. *Nimia libertas ſenſuum*, maximè oculorum. Claude oculos (ne videant, quod ad malum pelliciat, ſive in ſexu altero, ſive in tuo, ſive etiam in teipſo,) & infernum clauſiſti, ait S. Auguſt: 3. *Mali ſocii*, Pravæ vitæ ſocius etiam unicus corrumpere poteſt Juvenes Angelicos, & innocentes quàm plurimos, ut audiant diſcant, faciant, quæ antè vel leviter cogitare horruiſſent, facere verò ipsâ etiam morte propoſitâ detrectâſſent. Eſt nempe pomum putridum, penum totam; ovis ſcabioſa, gregem; homo peſtiferâ lue inquinatus familiam copioſam inficiens, & ſæpe opibus, famâ, gratiâ Dei, & hominum, vitâ temporali, & æternâ miſerandum in modum ſpolians. Talem ut vites, noſcere debes. Noſces, ſi nec pios libellos, nec ſacras conciones, nec Sacramentorum uſum, nec templa curantem videris: ſi chartas luſorias volvat, popinas frequentet, muliercularum amicitias, ſalutationes, choreas ſectetur. Credas, *hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.* Si tentatio ab intrinſeco proveniat, ut cùm

fœdæ

ſœdæ imaginationes in animo oboriuntur, etiam quando honeſtiſſima & ſancta tractas, illicò mens aliò abſtrahenda eſt. Illicò, inquam, & citò, citiſſimè: nam ſicut carbo ignitus in manum incidens, ſi illicò reiiciatur nihil omnino nocet; nocet verò, ſi vel modicè tardes: ſic laſciva cogitatio incidens in mentem. Cogitandum itaque de negotiis, aut rumoribus, de moleſtiis, quæ premunt: quærendum ex ſe ipſo quota ſit hora, & quid Chriſtus eâdem horâ pro nobis paſſus ſit: numerandi feneſtræ orbiculi, tabulati tigna, &c. legendum aliquid in libello obvio; percurrendum hoc ipſum amuletum caſtimoniæ, inſpiciendæ imagines libelli hujus: arripienda occupatio grata, luſus, aut quæcunque honeſta diſtractio.

8. Affligere carnem fame, ſiti, vigiliis, frigore, flagellis, labore, ciliciis, duro ſtrato, &c. Commendatur hoc remedium ſpecialiter iis, in quibus tentatio non ab anima provenit, (ingerentibus ſe fœdis cogitationibus,) & deinde in corpus redundat; ſed è contrario ex ipſa carne oritur, & in animum redundat, uti fit in iis, qui, cùm robuſtâ ſint valetudine, corpus delicatè tractant. Mordere tantiſper labia, vel linguam, ungues manui ad dolorem imprimere, vel alio quovis modo corpori incommodare, tunc proderit, cùm motus pravi infeſtant. Juvat ſubinde vel ſolum mutare ſitum corporis, ut ſtare, ſi ſederas: ſedere, ſi ſtabas; ſi decumbis, in latus te verſare alterum. Si motus perſiſtant, non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus: tantùm ne reflectito, ſed diſtine te cogitatione aliâ.

9. Abſtinere copioſo cibo, & potu omnibus conſultum. *Impoſſibile eſt, guloſum eſſe caſtum*, ait Caſſianus. Dices fortaſſis te nullas experiri moleſtias ex copioſo alimento. Sed nec à pulvere pyrio ſuppoſito domui tuæ ſentis nocumentum, quamdiu ignis abeſt. At cave, vel unâ accedente ſcintillâ ingentem is ſtragem edet, & domum evertet totam. Eſt hoc dæmonis ſtratagema corpus per cibum, & potum inadvertenter Veneri diſponere, ut cum diſpoſitum fuerit, tunc demum injecta etiam leviſſimâ imaginatione damna inferat, nunquam ſatis deploranda.

10. Conſtantem habere confeſſarium, conſcientiæ tuæ directorem, cui ſive in foro pœnitentiæ, ſive extra, omnes tuas tentationes candidiſſimè aperias. Si dubia in hac materia occurrant, ſi timores conſcientiam vexent, ne verecunderis detegere. Nocivum hoc eſt ſilentium, quod ſuadet dæmon, ut priùs te in ſordes pertrahat, quàm peccatum eſſe intelligas.

Atque hæc ſunt media, quibus integritatem mentis, & corporis conſervare potes. Quòd ſi verò, ſeu ex malitia, ſeu ex fragilitate, & tentationis vehementia in peccatum ſis lapſus, tum ſubitò ad contritionis, Sacramentúmque pœnitentiæ recurrendum eſt, ut te in ſtatum gratiæ reponas: aliàs peccatum peccato adiicies. Unum enim in hac materia commiſſum peccatum eſt irritamentum ad plura. Cæteræ tentati-

tationes ſatiantur actu, ut ira cæde inimici, gula oppletione ſtomachi, &c. At verò hæc concupiſcentia eſt *ignis* ille, *qui nunquam dicit : ſufficit.*

Atque hoc remedium ſpecialiter ſuaſerim *habituatis*, ut vocare ſolemus, ſive iis, qui conſuetudinem contraxerunt : quos per Chriſti ſanguinem. animarúmque ſuarum ſalutem adhortor, atque obteſtor, ut hoc unicum, quod illis juvandis ſupereſt ; & præſtantiſſimum medium non negligant, etiamſi tantæ ſint fragilitatis, ut cenſeant ſibi quotidie recurrendum eſſe. Non audiant ſuggerentem dæmonem, non poſſe eos jam deſerere inolitam conſuetudinem ; ſatis eſſe, ſi quot menſibus confiteantur ; moleſtos eos fore Confeſſario, & ſinè fructu : non obſequantur naturali verecundiæ, quam plerumque ut inſtrumentum uſurpat diabolus, ad detinendum ſub ſuo jugo miſerum peccatorem. Credant enim, id ſi egerint, & monitis Confeſſarii morem gerere conniſi fuerint, ſe & facili luctâ, & brevi tempore in cœleſtes, Angelicóſque homines evaſuros : quod plurium docuit experientia.

ACTUS CONTRITIONIS,

Sacramentali confeſſioni utiliter præmittendus.

AD contritionem requiritur 1. ut agnoſcas te peccâſſe, & peccando offendiſſe Deum Optimum, Maximum. 2. Ut peccata deteſteris ex animo ſuper omnia, & quidem ex hoc ipſo motivo, quòd per illa ſit offenſus Deus Optimus, Maximus, ſummè amandus, & colendus. Quod difficile non eſt ei, qui ſemel veram Dei æſtimationem concepit, cùm nimis apertum ſit, *ſummum bonum ſuper omnia eſſe amandum, & ejus offenſam ſuper omnia deteſtandam.* 3. Ut concipias ſpem veniæ, faciáſque firmum propoſitum confitendi peccata, & ampliùs non peccandi. Dic ergo non tam linguâ, quàm corde :

DOmine Deus cœli, & terræ, Deus immenſæ Majeſtatis, & infinitæ Bonitatis, Pater, Fili, Spiritus Sancte, agnoſco, & confiteor tibi Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, & omnibus Sanctis, quia peccavi nimis in vita mea, cogitatione, verbo, & opere, in ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia, aliiſque vitiis, quæ ab his promanant.

Peccavi. Corde, ore, opere.

Ita

ITa eſt. Peccavi Domine, & verè deliqui, & malum coram Te feci. Coram Te, inquam, ô ter Optime, Maxime Deus: qui me ab æterno, & antequam eſſem, gratìs adamâſti: qui me ex nihilo ad Gloriam tuam, æternámque felicitatem meam condidiſti, qui pro me ſervo peccati, & dæmonis redimendo ſanguinem, & vitam dediſti infami morte crucis mortuus: qui me Fidelibus tuis in Eccleſia tua ſancta annumerari feciſti: qui innumeris animæ, & corporis malis me eripuiſti, & pariter innumeris animæ, & corporis, communibus, & particularibus, naturæ, & gratiæ beneficiis à primo inſtanti conceptionis meæ uſque in præſentem horam, nullo interpoſito momento cumulâſti: in futurum verò divitias, & theſauros gloriæ, & potentiæ tuæ in cœlo præparaſti: qui denique, etſi mihi nihil unquam boni feciſſes, vel facturus eſſes, hoc ipſo tamen, quòd ſis Deus infinitè Sapiens, Bonus, juſtus, Sanctus, Potens, Æternus, Immenſus, Immutabilis, Incomprehenſibilis, omniúmque perfectionum inſcrutabilis Oceanus, es omnino digniſſimus ab omni creatura æſtimari, amari, honorari, & coli, æſtimatione, amore, honore, & cultu ſupremo, & poſſibili.

Et peccandò offendi amantiſſimum mei, digniſſimumque propter ſe amari, & coli Optimum Maximum DEUM.

DE hac mea impietate, & iniquitate doleo Domine quanto poſſum affectu. Odi, deteſtor, abominor, ex animo ingratitudinem meam, injuriam irrogatam amori tuo, contemptum pretioſiſſimi ſanguinis pro me effuſi, neglectum debiti tibi honoris, & cultûs, commiſſam denique tam turpiter à me viliſſimo homine offenſam immenſæ tuæ Majeſtatis, ac Bonitatis.

Doleo ex animo.

DEteſtor autem hanc iniquitatem meam ſuper omnia alia mala, quæ deteſtari poſſum; ita ſcilicet, ut ſi fieri poſſet, mallem me quidvis perpeſſum, & in nihilum redactum fuiſſe, quàm peccáſſe: malímque impoſterum millies mori, quàm peccare.

et ſuper omnia.

Et

ET quamvis peccando jacturam fecerim cœleſtium maximorum bonorum, reúmque me reddiderim graviſſimarum pœnarum; id tamen, quod animum cruciat, eſt, quod peccando offenderim, & ad iram concitaverim Te ſummè Bonum, Sanctum, Laudabilem, & Amabilem Dominum, ac Deum meum. Quare tametſi anima mea immortalis non foret, ſed in morte mea peritura eſſet, ſicut perit anima bruti, adeoque poſt hanc vitam nec præmium ſupereſſet, nec ſupplicium, adhuc tamen toto corde dolerem, & doleo de offenſa, & tam indignè habitâ à me (ac etiam aliis quibuſcunque peccatoribus) Divinâ Majeſtate, & Bonitate tuâ.

ob ſic offenſam ſummam Bonitatem & Majeſtatem.

ET quia tam amarum mihi eſt, ſic dereliquiſſe te Dominum Deum meum, & ambulâſſe ſecundùm concupiſcentias, & perverſa deſideria mea, in quibus modò erubeſco, jam nunc Domine, tuâ præventus gratiâ ad Te revertor, veniámque delictorum meorum ſuppliciter rogo, cum publicano de profundo cordis mei clamans: Deus propitius eſto mihi peccatori. Nam quantúſcunque ſim peccator, ac quantúmcunque gratiâ tuâ ſim indignus, & æternâ damnatione digniſſimus, non deſpero tamen remiſſionem peccatorum meorum, & vitam æternam. Sed quàm certò, & firmiter credo te poſſe, & velle juſtificare, ac ſalvare peccatores etiam maximos, uti ſalvâſti Davidem adulterum, & homicidam, Petrum negantem te, Matthæum ſedentem in telonio, Paulum perſequentem te, Magdalenam peccatricem publicam, Latronem ſceleribus infamem, alióſque innumeros; tam certò, & firmiter ſpero me quoque virtute pretioſiſſimi ſanguinis pro me effuſi ab omnibus meis iniquitatibus mundandum; in gratiam tuam recipiendum, in eáque ex hac vita deceſſurum, & æternâ beatitudine perfruiturum, dummodo ea præſtem, quæ ad hæc obtinenda ſanctiſſimè inſtituiſti, & à me requiris. Ita ſperare me jubet immenſa tua Bonitas, inexhauſta Miſericordia, & ardentiſſimus Amor, quem erga me miſellum hominem tot, & tantis beneficiis, maximè autem acerbiſſimâ paſſione, & morte tuâ es conteſtatus.

Confido in divina pietate, & miſericordia, quia peccatores recipit, ſperóque veniam, & gratiam, quam precor per ſanguinem JESU Chriſti pro me mortui.

Quoniam

QUoniam verò aliud à me non exigis, quàm ut peccata mea cum dolore, & humilitate ſacerdoti confitear, & deinceps peccatis, eorúmque occaſionibus proximis abſtinens mandata tua cuſtodiam, firmiſſimè propono me id facturum cum gratia tua, quam idcirco contrito, & humiliato corde expoſco, & imploro: ſimúlque in ſatisfactionem pro peccatis meis, & ad vindicandum in me læſum honorem tuum offerro Divinæ Majeſtati tuæ animam, & corpus meum ad omnem pœnam, quam Juſtitiæ tuæ de me ſumere placuerit: ídque unione ſatisfactionum, & pœnarum infiniti valoris pro me in cruce montis Calvariæ ſolutarum. O Amator ardentiſſime! ô Dilecte votorum meorum! ô Dulcedo cordis mei! ô Requies ſpiritus mei! ô Vita animæ meæ, Dominus meus, & Deus meus! ſi omnes honores, deliciæ, & divitiæ in uno peccato invenirentur, & iis frui poſſem per multa ſæcula ſinè ſcrupulo, & remorſu conſcientiæ: ſi ad hoc certus eſſem, quod mihi condonaturus eſſes & culpam, & pœnam omnem; nollem tamen te offendere, quia ſanctus, ſanctus, ſanctus es, & digniſſimus omni reverentiâ, amore & cultu. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me, qui vivis & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen, Amen, Amen.

Propono confiteri, ſatisfacere, & non ampliùs peccare ex amore Dei cum gratia ejuſdem.

Fuſior eſt hæc formula, & ideo minùs fortaſſis grata tibi, qui actibus contritionis quàm frequentiſſimis eliciendis ſtudes. Sed experientiâ comperies, quòd ubi aliquoties eam formulam attentè uſurpaveris, deinceps promptè, & facilè actum contritionis ſis eliciturus, ſi vel ſola marginalia percurras. Dum enim lingua vocem *Peccavi* (aliáque in margine poſita) proferet, intellectus, qui in operando velocior eſt, unico actu omnia, vel potiora, quæ in contextu formulæ habentur, concipiet.

(O)

RE-

REFLEXIO SACERDOTIS ANTE MISSAM.

Quæ eſt Sacrificium Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, & Impetratorium, *pro vivis, & defunctis.*

EGo ſum Sacerdos Altiſſimi, Miniſter, & Legatus Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ per miſericordiam Dei unctus, ordinatus, & conſecratus ad hoc, ut in perſona Chriſti, atque etiam nomine totius Eccleſiæ colam Deum cœli, & terræ ſupremo cultu, & ſacrificio, offerendo, & immolando ei Unigenitum Filium ſuum juxta admirabilem, & ſanctiſſimam ejus inſtitutionem

1. In proteſtationem infinitæ ejus Excellentiæ, & ſupremi dominii in nos, & res creatas omnes, noſtræque ſervitutis, & omnimodæ ſubjectionis in vita, & morte.

2. In gratiarum actionem pro beneficio creationis, conſervationis, gubernationis, redemptionis, & omnibus donis naturæ, gratiæ, & gloriæ collatis toti mundo à primo inſtanti creationis ſuæ.

3. In emundationem ab omnibus peccatis noſtris, & ſatisfactionem pro pœnis debitis.

4. In impetrationem omnium nobis conducentium bonorum ad ſalutem animæ, & corporis, juxta ſanctiſſimum Dei beneplacitum.

5. In refrigerium Fidelium defunctorum.

Eandem reflexionem quoad ſubſtantiam utiliter habebunt etiam alii, qui Sacerdotes non ſunt, quoties ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio inſerviunt, vel aſſiſtunt, vel pro eo offerendo eleëmoſynam largiti ſunt: quandoquidem & ipſi offerant, Deúmque hoc ſacrificio colant per Sacerdotem, & cum Sacerdote.

POST MISSAM, VEL COMMUNIONEM.

Vel cùm Venerabile viſitas, aut tranſis, aſſueſce inter alias preces tibi familiares etiam ſequentibus aſpirationibus, & fructum referes.

Domine, ſi vis, *potes me mundare ab omnibus iniquitatibus meis.*
Domine, ſi vis, *potes me ſanare ab omnibus infirmitatibus meis.*

Infir-

Infirmitates ſunt hebetudo intellectûs ad cognoſcendum veritates æternas ; inclinatio voluntatis ad bona ſenſualia, & infima ; paſſiones, ſeu motus inordinati appetitûs ſenſitivi ; habitus vitioſi ; pondus, ſeu propenſio vehemens corruptæ naturæ in propria commoda.

Domine, ſi vis, *potes me ſervare ab omni perturbatione dæmonis, mundi, & carnis.*

Domine, ſi vis, *potes me mutare in te, ut vivam jam non ego, ſed vivas tu in me.*

Domine, ſi vis, *potes me ſalvare, ut videam, amem, & laudem te in æternum.*

Ut nolis, *poſtulat iniquitas mea.* *Ut* velis, *poſtulat pietas, & Miſericordia tua.*

Major eſt Miſericordia tua, quàm iniquitas mea, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua.

Tu ergo Benigniſſime Deus. Miſerere mei, & ſalva me, ut videam, amem, & laudem te.

Per infinitam Bonitatem, & Miſericordiam tuam;
Per acerbiſſimos dolores Paſſionis, & Mortis tuæ;
Per glorioſiſſima merita, & interceſſionem Sanctiſſimæ Matris tuæ, & omnium Sanctorum. Amen.

Tria ſæpe ſæpius à Deo roganda.

1. Remiſſio peccatorum. *Cor mundum crea in me Deus.*
2. Spiritus, & fervor veri hominis Chriſtiani, vel Religioſi, ſi talis es. *Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.*
3. Vita æterna. Et *ne projicias me à facie tua.*

Super hæc tria te reflectes etiam quoties Litanias (quod nomen ſeriam valde precationem ſignificat) Beatiſſimæ Virginis, aliorumve Sanctorum recitabis. Et quia non dicis S. Maria, S. Michaël, ora *pro me*, ſed, ora *pro nobis*, æquè aliis, ac tibi ipſi hæc tria à Sanctis impetrari rogabis.

COMPENDIUM
Perfectionis Chriſtianæ.

SCIRE
VELLE
FACERE
QUIDQUID
QUOMODO
QUIA
DEO OPTIMO MAXIMO PLACET.

Explicatur. Homo *perfectus* dicitur, & eſt, cujus omnes operationes omnium potentiarum (quæ libertati ſubſunt,) ſunt *moraliter recta*: ſunt enim ejuſmodi operationes, ſive actus, ipſa *formalis* perfectio, ſeu *forma* denominans *perfectum*. Cenſentur autem operationes tunc eſſe *moraliter recta*, quando verſantur circa *objectum* conveniens homini ut rationalis eſt: & *modo* conveniente; & ex *motivo* convenienti: quorum ſi vel unum deſit, operatio eſt defectuoſa. Qualiter verò id ipſum obtineri poſſit, ſuprapoſitæ pauculæ voces abundè declarant. Si ſcilicet *Intellectus* (qui operanti facem præferre ſemper debet,) noſcat; *Voluntas* (quæ eſt Regina, & imperare debet,) velit: *Executrices* potentiæ agant, *Quod* vult Deus, & *Quomodo* vult Deus, & *Quia* vult Deus. Per executrices potentias intellige ſeptem externas hominis potentias, *Viſum*, *Auditum*, *Odoratum*, *Guſtum*, *Tactum*, potentiam *Locutivam*, & *Locomotivam*. Annumerare executricibus poteris potentias internas *Imaginativam*, & *Appetitum concupiſcibilem*, *ac irraſcibilem* quatenus voluntatis imperium agnoſcunt, & aliqualem directionem admittunt. Reliquæ potentiæ quoad actus ſuos libertati hominis non ſubjacent.

Ut porro *ſcias*, *Quid* Deus fieri velit, recole tres primas conſiderationes, quæ aliqualiter id docent: ſed ſpecialiùs decalogus, præcepta Eccleſiæ, regulæ ſtatûs, & officii tui id declarant. *Quomodo* nos operari Deus velit, intueberis in Chriſto, qui eſt Idæa & Exemplar nobis propoſitum, tam quoad internam animi diſpoſitionem, quàm quoad externam corporis compoſitionem. Ut deinde *velis*, pondera, quæ duodecim conſiderationibus, incipiendo à quarta, ſuggeruntur. Ut demum *facias*, compeſce generosè retardantẽ ab executione rerũ cognitarum, & volitarum omnem omnis boni creati amorem, omnẽ omnis mali timorem, ad quod itidem dictæ duodecim conſiderationes, ac etiam omnes reliquæ conducent.

Adde compendio duas voculas ſic: *Da ſcire, velle, facere quidquid, quomodo, quia Tibi Deo Optimo Maximo placet*, & habebis utiliſſimam orationem jaculatoriam. Vel dic adhuc brevius: *Quidquid, quomodo, quia Deo placet*, cætera ſubintelligendo. Hâc quotidie utere centies, & millies, pro te, pro me, pro omnibus aliis, & vive Deo nunc, & in æternitate.

OMNIA AD MAIOREM DEI GLORIAM.

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, N.Y. 10562

dairr